Eidr.

RESPONSIO MODESTA

Ad Cuiusdam

QUINQUAGINTA SINGULARIA

Iuris patronatus Regum Poloniæ

qvæ in odium Regularium procaciter divulgauit.

Lectori Benevolo.

PRodierunt anno præterito 1676. Qvinqvaginta singularia Iurispatronat. Regum Polon. *quæ à quo scripta, vel vbi sint impressa, subdolè reticetur. Per quæ Mtas Regia de Monasteriorum qualitate non benè informatur, Regularium status iniquè traducitur, & Sacra Iura impiè peruertuntur. Visum proinde, ut Modestâ Responsione, temeritas Scriptoris detegatur. quam facilè ipsemet L. H. deprehendes, ubi contortas cavillationes eius, quas hîc inseruimus, iustâ trutinâ ponderaveris.*

Argutiæ eius ordine numerali, prout singularista edidit, diverso charactere, à nostrâ Respons. ponuntur, ut rubrum à nigro distingvatur, & Lector advertat, cui parti Veritas suffragium præstat.

§ I.

I. Ius patronatus, Erectione, Fundatione, aut Dotatione, acquiri; Solenne Axioma est Iuris communis Ecclesiastici.

℟ Solenne itidem est, & in Iure expressum, quod Iuspatronatus, cum suo effectu, tollitur Cesione seu Donatione, ut puta, cum qvis id Ecclesiæ, in qua ius habet huiusmodi, conferendum duxerit; quo casu, Ecclesia remanet libera, ut habetur in c. 1. eod. in 6.

Item, si quis Ecclesiam, sine sui reservatione iuris, Collegiatam fieri patiatur, vid. Abb. in c. nobis. eod.

Vel dum Monasterium erigitur, & Fratrum Conventus ponitur, Fundator velle præsumitur, ut Regula ibi servetur, & iuxta Regulam Prælatus ordinetur. vid. Engel. Privil. Regul.

Est autem canonisatum hoc Decretum, quod S. BENEDICTVS, Regulæ cap. 64. tale posuit. De ordinando Abbate.

In Abbatis ordinatione, illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio, secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva, congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine Congregationis. Qvod si etiam omnis congregatio vitiis suis (qvod qvidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi, ad cuius Diœcesim pertinet ille locus vel Abbatibus, aut vicinis Christianis claruerint, prohibeant pravorum prævalere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè & zelo Dei faciant, sicut è diverso peccatum, si negligant. Ordinatus autem Abbas, cogitet semper quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ. Sciatque sibi oportere, prodesse magis qvàm præesse. Oportet ergo eum esse doctum Lege Divina, ut sciat, unde proferat nova & vetera. Castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltantem misericordiam iudicio, ut idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsâ autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem semper suspectus sit: memineritque calamum quassatum non conterendum. In qvibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia, sed prudenter & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut iam diximus; & studeat plus amari qvàm timeri. Non sit turbulentus & anxius, non sit nimius & obstinatus, non sit zelotypus, & nimis suspiciosus qvia nunqvam requiescet. In ipsis imperiis suis sit providus & consideratus, sive secundùm DEVM, sive secundùm sæculum sint. Opera qvæ iniungit, discernat & temperet, cogitans discretionem Sancti Iacob, dicentis: si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die. Hæc ergo aliaque testimonia Discretionis matris Virtutum sumens, sic omnia temperet, ut sit qvod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè, ut præsentem Regulam in omnibus conservet; ut dum benè ministraverit, audiat à Domino, qvod servus bonus qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

§ II.

II. Hoc tramite Iuris Priorum (ut vocat Cromerus) Sacerdotiorũ Collationes Regibus Poloniæ quæsitæ sunt, quorum Fundatores extitêre, qui vocantur in Iure Patroni, Aduocati, Protectores, & Defensores Ecclesiarum, & præcipuè Monasteriorum.

℟ Per hunc tramitem, quem Singularista insidiosè monstrat, priores Reges nostri nunqvam processere; qvi prisco illo aureo ævo, qvo qvisqve contentus suâ sorte fuit, cum fines Regni sui & Christianæ fidei proferrent, spatia Monasteriorum & structuras amplificabant; erantq; in id unicè intenti, ut in claustris sanctè viveretur; ad quod Duce Abbate & Magistro, opus esse scientes, optimos qvosqve de cœtu Fratrum, in Abbates eligi providebant, cum Regularium assiduis obsecrationibus & innocenti vitâ, felicitatem suis Regnis conciliari non

dubita-

dubitarent. Manetq; in hodiernum, indispensabiliter hæc penes Maiestates Regias obligatio, uti Chokier fusè deducit, ut non solùm omnes ac singulas Ecclesiasticas fundationes & Monasteria, sub Regiâ, veluti Supremi Advocati, protectione ac defensione, cum suis iuribus & communitatibus conservent, sed & prospiciant, ut Religiosæ piæq; fundationes, diligenter ac sedulò adimpleantur, in iis disciplina monastica teneatur, vel sicubi ea, per temporum iniuriam intercidisset, restauretur. Sicqve Dei gloria & observantia cultus Divini, factæqve fundationes, ad suum intentum scopum reducantur, & in eodem conserventur.

§ III.

III. Priora intelliguntur Sacerdotia, Episcopatus, Abbatiæ, & aliæ Regularium Præposituræ, tùm & insigniores Prælaturæ, Plebanatusq;.

℟ Hallucinatum esse scriptorem suspicor, qvi pro vocabulis Pingviora Sacerdotia, posuit inadvertenter Priora Sacerdotia, solùm enim Pingve & crassum, mens Scriptoris ruminat, quàm avaritia insatiabilis distendit. Neq; rectè eum indigitasse Abbatias, esse Priora Sacerdotia, quia non necessario, debent esse Sacerdotes Abbates, sed de necessitate tenentur esse prius monachi, quàm fiant Abbates.

§ IV.

IV. A Divo Miecislao Primo Polonorum Principe Christiano, circa Annum Salutis 966. Episcopatuum. Circa annum verò 1000. Abbatiarum, iacta sunt fundamenta. Dlugossij, Miechovitæ, Cromeri, Bielscij Sarnicij, Stricouij, Guagnini, & aliorum Veterum recentiorumq; Rerum Polonarum scriptorum plenæ Historiæ.

℟ Beatius illud sæculum, nascentis tunc in hoc Regno fidei, fuisse colligimus, qvò Divini amoris igne succensi Principes, Proceres nobilesq; Poloni, hæreditaria Christo, Christiq; alumnis Religiosis Viris conferebant patrimonia; & infaustum flebileque hoc præsens ævum, appellandum venit, qvo, collata olim à piissimis majoribus, Christo eiusq; ministris, bona & prædia, per summam iniuriam adimuntur, & contra avitam pietatem impiè à malè feriatis Comedatariis prodiguntur

§ V.

V. Episcopatuum res pacatæ, Abbatiæ quædam hâc tempestate prodiêre in arenam, Regum & Fundatorum Collationi obluctaturæ. Et quia Reges, non Protectores tantùm, sed & Fundatores sunt Abbatiarum accipe seriem.

℟ Quod Episcopatuum sint res modò pacatæ, DEO sunt agendæ gratiæ, nã aliqvando & circa Episcopatus acriter disceptabatur, & non pauci Episcopo-

rum, non modo obluctati sunt Principibus, sed & bella concitavêre hostilia, vel ipse Przemancovius argumento est.

Nunc cum Summus Pontifex, absq; aliquo prævio actu electionis ad solam nominationem Regiam, personæ quæ est vel actu, vel potentiâ proximâ in Ordine Sacerdotij, providet de Cathedralibus Ecclesijs servatur in hoc & iustitia & congruentia omnis, qvia clero, totique Diœcesi clericus, & sacerdos sacerdotibus, servato ordine homogeneo personarum, præficitur. Neque tantoperè desideratur electio Capitularium, cum magis interfit Regi, uti arbitro, discernere, qui nam ex dignitate Senatoria, quæ penes Episcopos Regni nostri residet, hoc munus sustineant, & qui consilio prosint Regi, Regnoque.

Sed Monasteriorum, Abbatumq; diversa nimis ratio est, á statu & conditione Episcoporum; quandoquidem Abbates, privatam claustralemq; agere vitam debent, nullisq; in hoc Regno, publicis reipublicæ negotijs adhibentur, sed ut Divinus cultus, fratrum directio, officiorum, piarumq; obligationum à fundatoribus impositarum, executio, diligenter fiat in claustris, ad hoc solùm ex munere suo tenentur invigilare. proinde in jis ordinandis & præficiendis, fratrum libera electio, de necessitate requiritur, ut ab omnibus & ex omnibus eligatur Abbas, qui præsit omnibus, sitq; dux & magister spiritualis vitæ: qvemadmodum Iura loqvuntur.

Et consequenter DD. tenent, quod ad electionem Superioris in claustris instituendam, non ante Principis & Patroni consensus requirendus sit, sed primùm post factam electionem. Quem ipsum consensum, magis de honestate, quàm necessitate desiderari, communior est sententia. Vt si Patronus, rationabilem contradicendi causam habeat, eam proponere possit, de cæterò autem si nihil obstet electioni, qvominùs canonica censeri debeat, etiam invito Patrono, validam & confirmandam esse. Videtur enim inconveniens, ut confirmatio Prælati Regularis, potiùs à voluntate Patroni, præsertim laici, (cum tamen laici, alias iuris eligendi incapaces sint) quàm ab electione Regularium, dependeat: & insinuat tex. in d. c. nobis. dum dicit Patroni assensum honestiùs reqviri Barb. d. l. n. 4. Panorm. in c. sacrosancta. de elect. in 6.

Semperque fuerunt & esse debent, electivæ dignitates in monasterijs, prout refert Io. à Chokier, tractatu quē inscripsit Scholia in primaria Principū preces.

Et certè si religiosi prævidissent futurum aliqvando, ut in monasterijs Prælati, non ad præscriptum Regulæ, neque ex mente & electione regularium, sed ex voluntate Principis & impositione, præponi deberent; nunquam Erectiones monasteriorum à Principibus factas & donationes acceptassent, neq; in claustra

& cœtus

& cætus convenissent: reformidassent enim imperia alienigenarum, qvæ semper dura, invisa & imperita, neq; despoticam ultrò servitutem subire voluissent, cum non coácte assumant religiosi iugum Christi, quod illis svave & leve redditur, dùm Abbas monachis in omni opere claustrali perficiendo iungitur.

§ VI.

VI. Ab Anno Millesimo Miecislaus Primus Princeps Polonorũ Christianus Tremesnensem, Boleslaus Chrobri Primus Rex Coronatus sanctæ Crucis in Monte Caluo, & Sieciechouiensem. Casimirus Primus Tynecensem, Mogilnicensem, & Lubinensem. Miecislaus Senex Landensem & Wagrouecensem. Casimirus Dux Sandomiriensis, Suleiouiensem. Casimirus Iustus Copriunicensem. Samborius Oliuensem. Msczugius Peplinensem Pomeraniæ Duces; Abbatias à fundamentis erexerunt, dotârunt fundâruntq;.

℟ In memoria Iustorum, perennet nomen Principum istorum, quorum membraneas chartas & fundationum originales literas dùm inspicimus, qvaliter bona sua Christo Domino, & Sacris Ordinibus, nec non Religiosis eorundem Ordinum personis inscripserint & perpetuis temporibus, nihil juris cuipiam reservando, donauerint in solidum, expresse legimus, obligationes, quas fieri per regulares sanxerunt, recognoscimus, execrationes, & graves imprecationes, quas in raptores & invasores bonorum à se monasterijs collatorum fulminarunt, legendo horrescimus; nusquam tamen inuenire possumus, An ius nominandi, & quos vellent imponendi Abbates, sibi, suisq; successoribus aliquandò reservauerint, vel hac potestate ipsi, aut eorum in throno & sceptro Successores, usi ante fuerint; cum libertas eligendi sibi Abbates, integra penes Conuentus omni tempore manserit.

§ VII.

VII. Archiepiscopi Gnesnenses, Episcopi Cracouienses, & alij Comites, & Proceres Regni, si quas fundarunt Abbatias, gratiâ authoritate, & consensu Regum & Principum Poloniæ fuit. Hæredes enim & Supremi Domini nuncupabantur; Seruitutesq; Vecturas, Pedagia, Contributiones, Datias, diuersi generis onera, etiam ex bonis Spiritualium, à quibus postea pietate Regum, & Principum, Abnepotum, releuati sunt; summo Iure sumebant. Remansit ex eo circa Maiestatem Regiam dispẽsatio gratiosa, & non interrupta gratiarum distributio; nec aliter in Bo-

nis Abbatiarum Aduocati, Sculteti, & Tabernatores, consederunt, nisi Regum Privilegiis prouisi & donati: prout ex Diplomatibus Casimiri Iusti Poloniæ, Lesconis Albi Cracoviæ, Boleslai Pudici Cracoviæ, & Lanciciæ, Semouiti Masouiæ Ducum deducitur, quæ in Archiuio Monasterii Suleiovieusis conservantur. Recentiori hominum memoriâ, Sigismundus Tertius in pœnam reprimendæ Seditionis à Subditis Abbatiæ Suleiouien: in Directos suos Dominos assumptæ districtam seu Maiestatis indignationem exeruit, ut Priuilegia Scultetorum, aliorumq; Tabernatorum, & Privilegiatorum Libertationes cassaret & annularet. Solenne est Regum in Abbatias potestatis & iurisdictionis documentum, Prouisiones quoq; ipsas, quas Monasteriorum Conventus cum Abbatibus ad Mensæ commoditatem partiri consueuerunt, in omnibus Monasteriis Regũ authoritate, pariter & assensu, semper exdiuisas fuisse.

℞ Perquam grata ista ingeritur nobis recordatio, fuisse quandoque Archiepiscopos & Episcopos in Polonia, qui de propriis terrenis substantiis, Abbatialia monasteria fundarunt dotaruntq; quos nihilominùs ditiores modernis extitisse non facilè concesserim, sed frugaliores fuisse nullus inficias ibit, illorum itaq; piam liberalitatem, sæcula porrigent sæculis, viventq; perennes in gratis monachorum animis. iam verò modernos Episcopos, Abbatiarum nostrarum administratores, non ita sera celebrabit posteritas, qui, præterquam quod nec micam liberalitatis suæ, conferant in monasteria, proventibus monasteriorum insuper alumnantur saginanturq;.

Ex hoc verè, quòd Reges Poloniæ, superioribus annis contributiones aliquas ex bonis monasteriorum, summo iure sumpserint; vel quòd Scultetos in bonis monasteriorum locatos, privilegijs suis donauerint, & rebelles eosdem, privilegiis ipsis & rebus possessis, in pænam seditionis priuauerint; tum etiam, quod prouisiones ad mensam religiosorum & divisiones in bonis monasterij authoritate Regia & assensu fieri consveverint: hoc solùm inferre licet, quòd cum sint Supremi in Regno Monarchæ & monasteriorum Protectores, ad eorum Majestatem spectat, res monasteriorum in pace conservare, & veluti pupillos, claustrales defendere; non verò Abbates monasteriis imponere, quod Singularista, ex præmissis illis nititur præfractè concludere.

§ VIII.

VIII. Priscâ rerum sacrarum facie, Capitula Episcopos Abbatesq; legebant,

gebant, universali Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, non tamen absq; adminiculo Principum. Hodiè inquit Piasecius, Electiones liberæ vix iam alicubi, ac ne vix retinentur, etiam à Curia Romana postpositæ: Rediit igitur Collatio ad Principes, & Primæuos Fundatores, non in Polonia tantùm, sed in Germania, Hispania, Gallia.

℞ Citatus Piasecius, de Episcopis loquitur, qui iam, vix alicubi à Capitulis eliguntur, sed passim à Principibus denominantur. Abbates verò & alii monasteriorum Præpositi, in omnibus Dominiis Augusti Cæsaris, liberè à conuentibus eliguntur, quemadmodum videre licet, in vicinis monasteriis, per Silesiam, Morauiam, Boemiam, Austriam, Styriam &c. positis, paucis exceptis in Inferiori Germania, quæ Episcopis Principibus interim commendantur, ut ab hæreticis circumiacentibus faciliùs conserventur. Hispania quoque ab hac labe, prorsus immunis est. Sola Gallia abundat Commendis, in quâ primū consurrexêre, gravi cum damno Ecclesiæ universalis.

§ IX.

IX. *Insistūt Iuri suo Principes, ut planū sit, ex multiplicatis Præsentationibus, uti disposuit Cōcil. Tridēt. Per antiquissimū temporis cursū (verbis concilij loquor) qui hominum memoriam excedit, suarum Maiestatum præsentationes, successiuè à Casimiro Magno, & à Ludouico, qui Bozantam Szeligium, contrà Electum à capitulo Novodvorscium ad Sedem Gnesnensem, Vrbano VI. præsentauit, atq; alii alios Archiepiscopos, Episcopos, Abbatesq; longâ quæ hic non recensetur, quia notâ & vulgari serie.*

℞ Semper miscet quadrata rotundis, Singularista, qui ab Episcopis ad Abbates subdolè argumentatur. Sciunt pridem omnes, ad Regem pertinere jus præsentandi Episcopos; quòd verò Clerici Sæculares Abbatiis nunc præponantur, res est admodum nova, antiquis incognita, & nostrâ memoriâ, sub Sigismundo Tertio primùm introducta. Ex quo tempore, cœperunt multiplicari mala, & in claustris cœpit legi Psalmus, Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.

§ X.

X. *Aperuit Campum Abbatia Lubinensis, prout patet ex Statuto Regni, non ita multò post annum 1460. Cromeri testimonio. Porrò cum Monachis, inquit, Lubinensibus constitutum, vt ne Abbatem nisi à Rege destinatum haberent. Inde adeò hic mos inoleuit posteriùs in cæteris quoq;*

Mona-

Monasterijs totius Poloniæ, vt noui Abbates assensum Regis requirant, &c. Quo non obtento Abbatia acquiri minimè potest. Ac proinde posteriori tempore ultra Centum Annos mos inualuit obtinendarum ante Electionem Præsentationum, etiam cum Clausula Cancellariæ ut Hunc & non Alium eligatis: quibus nunquàm Monachorum Conuentus, ipsorũq; Capitula contradixerunt.

℟ Quanquam Lubinensis Monasterij coácta illa, & horâ vesperarum inconsultè facta, prorsus euanida fit promissio, nihil tamen illa continet, quo se Intrusi protegere valeant: cum penes monachos libera eligendi de gremio facultas in eodem statuto asseratur, confirmandi verò electum, & Episcopo instituendũ, ac benedicendum Præsentandi Ius, Regiæ Mʃti: reservatum esse scribatur.

Hanc autem clausulam Cancellariæ Polonæ ut hunc & non alium eligatis, nullibi gentium in usu esse, quia imperij despotici nota est, & non solum electioni prudenti & rationabili præiudicium infert, sed ipsum liberum humanum arbitrium tollit

Præsentationes quoq; Regiæ, ante Electiones in Cænobijs instituendas, obtentæ, sicut contra Iuris Ecclesiastici & Civilis formam nunc emanant, ita statum rerum peruertunt, & non claustris modò, sed & toti genti, exitium accelerant.

§ XI.

XI. Ducenti Triginta Anni grande mortalis æui spatium, sufficiũt præscriptioni, & firmant Possessionem Principum ab immemorabili bonæ fidei, quia spontaneè, quâ ante Prædecessores Maiestatum gaudebant, Casimiro Tertio delatam, vt infra patebit.

℟ Præscripsit Regula Sancti Benedicti, quia mille Ducenti anni sunt, quò est scripta & per Gregorium Magnum confirmata, atq; omnibus ad conversionis gratiam accedentibus, diligentissimè usq; ad finem mundi observanda, eiusdem Pontificis authoritate tradita. Hæc Regula cap. 2. docet Qualis debeat esse Abbas. & cap. 64. De ordinando Abbate canonem & statutum condidit, cui derogare nefas, quia dictatum esse â Spiritu Sancto, Vniversalis credit Ecclesia.

Sub hac Regula, pleraque Poloniæ Antiqva Monasteria Benedictinorum & Cistèrciensium militant, quæ ab annis sexcentis & ampliùs, Abbates de gremio suo lectos, semper habebant; nunc autem Regularibus destituta Prælatis, ex primâ fortuna & decore, nil nisi Antiquum Nomen habent: quæ, merè cadauera

daucra

dauera dixerim, quia truncata capitibus proportionatis, emortua iacent. Neque illa animari, vel cohonestari sæcularium Prælatorum spiritu & cristis, & aulico comitatu, unquam in animum induxero, nisi ubi videro, Oues Ceruorum capita ferre. Non benè adaptat, Humano capiti, ceruicem pictor equinã; ita nullus non miratur & qui non dicat monstrum, inter tonsos monachos, calamistratos & cincinnatos istos intrusos Abbates.

§ XII.

Bibl. Iag.

XII. *Regum venustam Maiestatem ornat & illustrat hera præmiorum Iustitia distributina, quâ omnes Europæ Principes à Poloniæ Regibus superantur. Inæstimabile illud Solij Regalis pretium. Ac proindè ingenti studio & conatu, acrioribus nonnunqnam medijs, & iure Guerrico tentum, & defensum à Regibus; ad mentem Statuti Regni, cuius verba sunt. Quia tamen tanta est multorum hominum temeritas, tanta rerum & temporum varietas, ut nihil tàm solidi obtineri ac ordinari possit: quod non turbetur & labefiat in posterum, nisi vi & potestate Principum defendatur & manuteneatur.*

℞ Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps: ita Singularista, fucatis verbis laudando, adulatur, ut prædam consequatur. Profectò non est Iustitia distributiua, alienum alteri dare. In magna potentia, Regibus minimum licet. qui si iuxta illud Brocardicum, agant, Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione, voluntas. ab officio suo deuiant.

§ XIII.

XIII. *Plusquam notum est Annalium gnaris, Grusczynium à Casimiro Tertio, Regio & excelso spiritu, in vim supremam obfirmato, ad Episcopatum Cracouiensem, Strzempinio vitâ functo, contra proteruiã Sieninij, & Capitularia vota, in Brzezium prouectum fuisse. Singula prolixè narrante Cromero, & alijs Fastorum Scriptoribus. A Casimiri Nepote, Sigismundo Augusto, Iacobum Vchanscium ad Cathedram Vladislauiensem ex Chelmensi translatum: nihilosecius. Porrò quoad Abbatias sæpè nimis. Maiorum memoriâ & nostrâ singuli, quibus Abbatiæ liberalitate Regiâ obtigerunt, hoc meritorum præmio; vigore Nominationis Regiæ potiebantur: qui secus; strenuè, ut Reges decuit, repressi sunt. Coadiutorem, Gaspari Iestau Abbatis Oliuensis, Georgium Kostka, Palatini*

sini Pomeraniæ filium, cooptatum circa Regis assensum, Stephanus Rex Batoreus, per Oratorem suum Demetrium Sulikouium Archiepiscopum Leopoliensem, apud Sixtum V. seriò impediuit, Reinholdus Heydensteinius narrat luculenter, Sigismundus III. sumptis Regni fascibus, Romæ per Ioannem Kuchorscium, intimum à Secretis, posthac Episcopum Culmen. in causa Tynecensis Abbatiæ; quæ non egerit? Qualiter Baranouium Electione Capitulari frustra tumidum & laborantem compescuerit? Qualiter Andream Batoreum Cardinalem, in possessionem Abbatiæ Czeruenensis, viuente Falcki Abbate seniculo, in præsentiâ Nuntij Apostolici Germanici Malaspinæ, & Archiepiscopi Gnesnensis Karnkovij, Plocensisq; Episcopi Baranouij introduxerit? Stanislao Sułouio in manu potenti pacificam possessionem Abbatiæ Tynecensis parauerit? Vladislaus IV. Niewiarouium Româ redeuntem, ibidem à Nepote Pontificis Innocentij X. benedictum, Abbatiâ Tremesnensi exturbauerit, & ab agmine militari captum, vinctumq; deduci iusserit, & tres subinde sibi succedentes Abbates spectare & tolerare coëgerit. Ioannes Casimirus Piasecium, Episcopi Præmisliensis ex Fratre Nepotem, Abbatiâ Claræ Tumbæ exuerit? Pstrokonium Episcopum Chełmensem, ope armatâ, Monachis nec quidquam obtinentibus Tynecum introduxerit, quis ignorat? Neq; hæc vis fuit, ubi à Monasterijs vi agebatur.

℞ Procurator causæ ex se malæ, adscititiis & apparentibus uti solet defensionibus: ita antimonachus Singularista, ut probabile doceat, posse intrudi à Principe Clericos seculares, in locum Abbatum monasteriis, ridicula ex Annalibus eruta exempla sequiori mente adcitat. Et quidem per Grusczynii indebitam promotionem, magnum & reipublicæ Polonæ incommodum, & authoritati Ecclesiasticæ & Pontificiæ detrimentum, tum & perniciosum ambitionis exemplum, emerserat. de quo legatur Starouolscius in Vit. Ep. Crac. In Vchanscio quoque non servatus juris recepti trames.

In negotiis verò Abbatiarum Oliuēn. Tinecensis, Czeruenensis, Tremesnensis, Claræ tumbæ, non minus peccatum fuit, in quibus absoluta vi, & armatâ ope effectum est, quicquid peractum fuit. & tàm odiosa exempla, ad detestationem potiùs, non ad imitationem recenseri deberent, cum errores corrigendi, non allegandi dicantur. Stant pro monasteriorum tuitione sacra Ecclesiæ jura, quæ, non sine crimine, infringuntur, quando clerici seculares Abbatiis præficiuntur.

Stant

Stant piissimi & sancti Fundatores, qui ingentem vim suis illatam intentionib9, insignemq; per hoc iniuriam inflictam religiosis obtestantur.

Memoriâ nostra, iusta causa fuit Tinecensium monachorum cum Pstrokonio Commendatario, ab ipso Romano tribunali agnita & pro parte monachorum, decisa Pstrokonio ad refusionem omnium prouentuum, ex Abbatia, non expedito Brevi, per annos quindecim nulliter perceptorum, condemnato: cui cum sexcenta millia florenorum refundenda indicerentur, imparem se soluendo sentiens, ad Episcopos Regni supplex accurrerat, ut enixius Io. Casimiro Regi pro se supplicarent, quatenus se iudicio Rotali damnatum per literas Pontifici commendaret, ut nouam gratiam Pstrokonio impertiretur; quod & facere inuitus Princeps adactus fuit, ut cui, aliter sentienti, magna importunitate precū, Antistites vim intulerint. Atq; ita recenti commendatione Regis, Pstrokonius apud Pontificem adiutus, condonationem omnium, ante hac nulliter ex Abbatia perceptorum fructuum obtinuit, & nouam gratiam tenendi Abbatiam, hac arte impetrauit. In cuius negotii iudicio, qualia præiudicia religiosis, in Curia Regali Romanaq; facta fuerint, extremi tantùm judicii inuiolabilis veritas declarabit. Non est æquum proinde, cur ludificationes & sannas faciat Singularista, in causis istarum Abbatiarum, siquidem res illæ, non secundum merita & iustitiæ exigentiam, sed per fauorem & per potentiam, supremâ vi peragebantur.

§ XIV.

X I V. *Iamq; eo res processerunt, ut absq; Regia Nominatione, ne Romæ quidem tàm sæcularia, quàm Regularia beneficia impetrare liceat. Assertum ex Lipsio accipe. Et certè superioribus, inquit, temporibus, usq; ad Sigismundi I. imperium, tantùm is mos in Curia Rom. impetrandi beneficia, tàm Iurispatronatûs Laicorum, quàm spiritualium inualuerat, ut etiam Legibus à Serenissimis Regibus, Alberto & Alexandro eo nomine promulgatis, vix, imò ne vix quidem prohiberi id potuerit. Prout videre est in Statutis Regni. Donec tandem summo studio ac labore, Sigismundi I. id effectum est, quòd ex præscripto Indulti à Sede Apostolica, Summoq; Pontifice Clemente VII. impetrati, nullus posthac Cortesanus, quod idem est, in Curia Rom. commorans, huiusmodi Beneficia, quæ Iuris Regij fuerint, tùm Laicorum, vel in Mensibus ab eadem Sede Apostolicâ Ecclesiasticis Personis gratiosè concessis impetrare præsumat. Postmodùm Statuto eiusdem Regis Cracouiæ lato Anni 1540. confirmatum fuit,*

quæ in huiusmodi Cortesanos contra præscriptum Indulti superiùs recensiti impetrantes, grauissimæ pœnæ statuuntur Hucusq; ille.

℟ A paruis prauis in peius semper itur: ut rectè Romanus Sapiens dixerit, Vbi semel recto deerratum est, in præceps peruenitur, nec quisquam putat sibi turpe, quod alii fuit fructuosum.

Per aliquam occasionem, intrusio ad Abbatiam facta à Principe quopiam, in sequelam trahi non debet ab aliis; quia id, quod sui natura est illicitum, etiam consuetudine non fit licitum ut habetur c. mala. dist. 8.

Et si Cortesanis, in Curiâ Romanâ commorantibus, graviter vetitum, ne beneficia Regii iuris, impetrare Romæ præsumant: ita Cortesanis, in aula Regia versantibus, vetandum, ne Abbatias Iuris monachorum impetrent in Aula: quia Abbatiæ & alia Regularia beneficia, Conuentum habentia Electiua sunt, esseque debent; ad quæ Divina vocatione, & fratrum electione prouehuntur, qui præponuntur; Gratiosum verò consensum ad hoc, Orthodoxi Principes denegare non debent, quia Dei causa, humano non subest arbitrio.

§ XV.

XV. Fulti beneplacito San: Sed: Apost: Spiritualium & secularium Ordinum Status Regni, reassumptis antiquioribus de Cortesanis Statutis, Leges perpetuas condunt. Abbates Nobiles sunto. Reges ad Abbatias, benemeritos præsentanto, Episcopi post fata Abbatum, Abbatias regunto, & à Rege præsentatos instituunto. Perspice Constitutiones quæ tibi diserto & vernaculo sermone rem edisserent.

℟ Tale Beneplacitum sedis, quale iactat Scriptor, quo leges Ecclesiæ perfringerentur, non credo extare; quia hoc esset, contra auctoritatem Principis Ecclesiastici, & contra suam propriam ordinationem; nam supponitur, quod Pontifex leges Ecclesiæ in scrinio pectoris habeat, & earum observationem promoueat. Non est itaq; credibile, quod ad euertenda Iura Religiosorum, talia Indulta versutè composita, sciens & volens emiserit. absit enim, ut sinceritatem tanti Principis, huiusmodi iniquitate polluamus. Importunitati igitur obstrepentium petitorum, ea indulta, si quæ habentur, adscribenda sunt. Scilicet quod in Curiis Principum, assidua sit Mandatorum obreptio. id quod & Iustinianus Imperator conqueritur in l. 1. C. de petit. bonor. sublat. lib. 10. cum conqueritur, sese in uerecunda petentium inhiatione, adeò constringi, ut etiam non concedenda tribuat. & alibi, precationes huiusmodi furtiuas nominat, & potentiâ eorum qui instant extortas l. 1. C. de fundis limitrophis lib. 11. Accedit, quod Summo

Pon-

Pontifex multitudine arduorū negotiorum, ad omnia per eū emanata non potest aduertere; tantisq; negotiis distenditur, ut respirare liberè vix possit: mirum proinde non debet esse, si aliqua circumferātur indulta, de quibus iure præsumi potest, quod ignorante vel non aduertente Pontifice edita fuerint; præsertim si cōtra Iura Ecclesiæ pugnent, vel rem alterius lædant. Cum Papa nunquā tollat Ius alterius, nec in re, nec ad rē, ubi hoc non exprimit, quod Canonistæ docent. Similiter & ipsius Literæ vel Indulta per falsas narrationes obtenta, non tribuunt ius in re, nec ad rem, præsertim in beneficialibus: & taliter impetrans non est tutus quo ad Deū, nec debet gaudere in foro fori importunè quæsitis. Ratio à DD. datur, quia quod obtinetur per impetrationem, præsumitur obtentum per importunitatem, quæ pariter vitiat Gratiam indulti sicut & falsitas, neq; potest stare in usu.

Cum itaq; evolant Rescripta, quæ lædunt tertii jus, & leges antiquas impugnant, non sunt illa imputanda Pontifici, qui plerumque imò sæpissimè precum importuna instantia vincitur, ac potius decipitur. l. 1. C. de petit. bonor. sublat. lib 1. c. detestanda. de conces. præb. in 6. & c. per ambitiosam. de rescript. Et quia ipse credit conscientiæ impetrantis: quæ conscientia si fallit, à se ipsa fallitur. Concessio itaq; Pontificis, sine sufficienti causa, non tenet in foro conscientiæ, quod non fit ex defectu potestatis dispensatiuæ Papæ, quæ omninò apud eum residet, sed ex defectu voluntatis; quia fuit per importunitatem, subreptionem vel obreptionem inductus ad concessionē. Chokier in reg. 8. Cancel. n. 18.

Quod verò spectat ad leges Polonorum, hoc quoq; notandum est, quod Leges apud nos in immensa volumina excreuêre, tamen quas probes vel improbes, adhuc in controuerso est; cum pleræque ex opposito pugnent, cum lege Diuina, Naturali, Iure Canonico & Cæsâreo,, imò & cum ipsa Ratione. multæ enim ex priuatorum commodorum causa natæ, ac intrusæ potiùs, quam latæ, sanum consensum & publicum nondum obtinuêre: ut & ipsi Politici, omninò corrigendas esse iudicent. modò rationes & modi in illis emendandis, abrogandis & disponendis faciles inuenirentur.

Licet ex his ipsis, quæ hic citantur, considerare, quàm iniquæ, Ecclesiasticis sanctionibus & omni antiquitati contrariæ; quas tamen singultator, vult esse perpetuas, sub beneplacito sedis conditas, ac quasi medullas legum, & oracula cœlo laudante probata; cum tamen illæ dignæ sint risu, nouæ & à Nouàtoribus Lutheranâ & Caluinianâ hæresi afflatis Consiliariis, qui eo tempore in senatum irrepserant, consutæ, & in codicem constitutionum ingrossatæ. Similesq; Anglicanis legibus, quibus decernitur. Qui se Catholicum asseruerit in exilium pellitor. Monachi si inueniantur suspendantur. Emendi & vendendi licentia Papistis ne detur. &c.

tur. &c. quæ cum sint contra Deum & conscientiam, contra rationem & pietatē latæ, insanæ, atroces & barbaræ existimantur. Neque istæ Sapientiores habendæ: Abbates nobiles sunto. hac nouellâ constitutione, antiquius & sanctius statutum habemus,quo iubetur, Abbates religiosi & virtuosi sunto.

Reges, ad Abbatias, benemeritos præsentanto. Sicut in castris, bene meritos præmiandos esse, sic in claustris, benè meritos præficiendos, lumen rectæ, rationis monstrat. Et si non debeat dici, Præmium, Prælatio in Religione, sed onus, sicut S. Benedictus c. 2. docet. Sciat Abbas, quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum seruire moribus.

Episcopi post fata Abbatum, Abbatias regunto. multorum Pontificum decreta habemus, quibus Episcopi seriò prohibentur, ne Regularium quietem perturbent, vel obeunte Abbate, in describendis peruidendisq; rebus monasterii, aut prouentibus & bonis regendis aliquatenus se intromittant.

§ XVI.

XVI. Agebatur de abrogatione horum Regni Statutorum & Legum in Synodis Prouincialibus enixâ Abbatum & Plebeiorum Monachorum curâ; sed prisca Consuetudo firma stetit & inconcussa, Diplomatibus à Leone X. per Ioannem à Lasko, & ab Vrbano VII. per Erasmum Ciołek Regum nomine impetratis, omnes illas de Electionibus Abbatum & Plebeiorum non Constitutiones, sed potiùs Cohortationes, seu meliùs Consultationes & totum de Electionibus Titulum Lib. Constit. Prouiu, comprehensum, euacuauit.

℟ Sacer Senatus in Synodis Prouincialibus congregatus, rectè damnauit Ciuilia illa statuta Comitiorum, quæ ab hæreticis & profanis hominibus, contra leges Ecclesiæ & omnem æquitatem lata sunt. Certè grauibus verbis exaggerat, injuriam inflictam monasteriis, Petricouiensis Synodus Anni 1551. tùm & subsequentis anni 1556 alia Louiciensis Synodus clericorum secularium execrabilem ambitionem detestatur; decretumq; in utraq; Prouinciali Synodo, ut non attentis suppostitiis istis legibus per hostes Ecclesiæ subreptitiè in Codicem Constitutionū protrusis, res monasteriorum canonico modo, antiquo receptoq; usu peragerentur.

Decreta autem illa Synodalia, non tantùm Abbatum & Plebeiorum monachorum Cura, ut imponit aduersarius, sed tot Antistitum Regni & sacrorum hominum iudicio firmata steterunt, quibus etiam robur perpetuæ firmitatis, confirmatio Romanæ sedis accessit. Neq; Leo X. vel Vrbanus VII. per sua Rescri-

pta,

pta, eisdem derogarunt, neque euacuata ullo pacto existunt; quanquam adhuc contrarium, in facto fiat, & intrusi in Abbatiis delitescant, prævalente iniquitate temporum; sed spes affulget, ut ad suum statum staturamq; res redeant, & brevi ambitio & auaritia profani cleri detumescat.

§ XVII.

XVII. *Talis consuetudo etiam Priuilegia euacuat: uti expertus Iuris Episcopus Præmislien. Paulus Piasecius tradit. Sed maximè, inquit, circa ista Priuilegia aduertendum est, an fuerint in usu, in loco ubi controuertitur. Si enim adesset Consuetudo contraria, illa derogaret etiam talibus priuilegiis, & esset tenenda.*

℞ Perperam videtur intellexisse singularista Consuetudinis vim & effectus; tametsi enim continuò Consuetudinem alleget & crepet, sed eam improbam & detestabilem. quod, ut & ipse agnoscat & confiteatur, paulò prolixiùs De Consuetudine.

Iustinianus definit Consuetudinem, esse diuturnos mores, consensu utentium comprobatos. Exinde ista requiruntur, ut Consuetudo inducatur, Diuturnitas temporis, Actuum frequentia, Causa rationabilis & Consensus Principis.

Est autem triplex Consuetudo, vel præter legem, & talis novum jus constituit; vel secundùm legem, & talis ius dubium interpretatur; vel est consvetudo contra legem, & talis legem tollit. Non tollit autem, Naturalem, aut Divinam legem, qvandoquidem Consvetudo ad ius humanum spectat, & ab humanâ potestate pendeat, sed Solam Humanam legem sive Ciuilem, siue Ecclesiasticam, dum modo consvetudo sit iusta & rationabilis.

Vt Regularibus Superiores æquè Regulares præsint, lex quidem est Humana, Ecclesiastica, sed à Sanctis legislatoribus Benedicto, Augustino, Basilio, Francisco lata, & à Summis Pontificibus approbata & canonisata. Quam legem, ut contraria consuetudo, quâ Clerici seculares præficiuntur Regularibus, abroget & tollat per desuetudinem, opus est, ut talis consuetudo sit diuturna, multis actibus roborata, rationabilis, & tandem ut accedat consensus Principis Ecclesiastici qui est Papa.

Sed ista consuetudo in Polonia, intrudendi clericos seculares, in locum Abbatum & Præpositorum regularium, deficit in his.

Et inprimis, quod spectat ad Temporis longæuitatem, multi superuiuunt, qui primùm Intrusos Abbates conspexêre, regnante Sigismundo Tertio: Tametsi verò, utroq; Iure, tàm Civili quàm Canonico determinatum sit, quantum

temporis requiratur ad Præscriptionem, neutro tamen definitum est, quantum requiratur ad Consuetudinem inducendam, quæ legem nouam faciat, ab rogando antiquiorem. Similiter non est definitum, quot Actus requirantur ad talem consuetudinem, sed utrumq; Iudicis arbitrio relictum manet. arg. l. 1. D. de iure deliberandi.

Quantùm verò ad Actus attinet, qui inducant Consuetudinem, requirunt Canonistæ ut Actus illi sint uniformes, quia ex Actibus qui difformiter successerunt, remanet dubium, quid seruari in facto debeat: cum tamen, sicut Lex, ita & Consuetudo debeat esse clara & certa, non autem obscura & dubia. Et ideò Cōsuetudo, quæ non fuit conformis, non attenditur. Surd. Cons. 449. n. 7. ubi plures cit. Similiter non inducitur Consuetudo, ex controuersis aut turbidis Actibus, vel qui à merâ facultate, & potentiâ regnantis, vel ex tolerantiâ subiectorum procedunt. Farinac. 1. parte Decis. 112. quia multa fiunt per vim & potentiam à Principibus, quæ non licent, & plura per patientiam tolerantur, quæ si in iudicium deducantur, exigente Iustitia, tolerari non debent. c. cum iam dudum. De præbend. Debent quoque Actus esse usitati publicè, & à multis frequentati Principibus; ut inde dici possit, interuenisse, tacitus maioris partis populi subiecti consensus. Farinac. Decis. 155. imò debent Actus isti fieri, Animo inducendi consuetudinem. Abbas c. finali, de Consuetud.

II. Vt Consuetudo, contra legem expressam, valeat, requiritur ut sit Rationabilis, uti patet ex c. ult. de elect: tum ex eo, quod vim legis habere debeat, & pro lege scripta suscipi: atqui Ratio, est Anima legis, ideò & Consuetudo, quæ est contra rationem aut veritatem, nullius est momenti. Rationabilis verò illa censetur Consuetudo, quæ non obuiat vel contradicit Canonicis institutis: ita Glos. in c. fin. de consuet: Hoc ipsum autem, quod prohibitum est Iure Canonico, prohibitum censetur etiam, Iure Diuino. Lancelot. de consuetud.

Porrò Irrationabilis consuetudo est, quæ reprobatur à Iure, ut in c. ex parte nostra. de Consuet. Et illa quæ est onerosa & molesta & ex qua sequuntur aliqua inconuenientia. c. cum inter nos. de consuet. Et generaliter loquendo, irrationabilis consuetudo est, ubi fit aliquid contra morem Ecclesiæ, vel contra libertatem eiusdem Ecclesiæ, vel contra disciplinam ipsius, & Sanctorum Patrū instituta. c. cum terra. de elect. Quæ consuetudo, etiamsi tanti temporis esset, ut eius initii non extaret memoria, non debet tamen reputari pro rationabili, iustaq; quia quod primò & secundò & tertio non licuit, licitum ex tempore non fit, & quod per errorem fieri cœpit, erroneè continuatur, tantoq; grauior error, quantò diuturnior est.

Denique

Denique ut Rationabilis Consuetudo sit, debet habere conditiones legis, enumeratas partim in c. consuetudo. Dist. 1. partim in c. erit autem lex Dist. 4. quandoquidem legis authoritatem debet habere.

III. Vt Consuetudo Iuri prævaleat Antiquo, debet introduci per rectam scientiam, & non per errorem; quia error vetustus, semper est error, qui debet corrigi, non imitari vel iterari.

Et hinc Quæstio illa, Vtrum valeat consuetudo, quod non fiat correctio? Resolutionem habet, quod non valeat, per textum mirabilem in c. irrefragabili de off. ordin.

Vel utrum Monachus aliquomodo possit esse Dominus eorum, quæ lucratur prædicando, seruiendo &c. si consueuerint alij taliter acquisita, propria reputare. ℟ quod non possit: Quia est contra substantiam status, contra naturam Monachorum.

Vel dum quæritur, Vtrum Pontifex Privilegium fori Clericorum ab eis tollere possit? Clarum patet, quod non. quia auferret, quod non dedit.

Vel utrum consuetudo contra Decalogi præceptum, etiam immemorabilis & generalis totius orbis valeat? ℟ Non. Quia certum est, omnem Consuetudinem contrariam Legi naturali vel Divinæ, vel consequentibus necessariò ex illis, Corruptelã esse: quæ tantò perniciosior est, quò diutiùs durat. arg. c. ult. de elect.

Hinc patet, prauam consuetudinem non ligare, neque alicuius momenti esse, neque quidquam valere, sed vetustatem erroris esse appellandam; tametsi illa Iuramento, vel statuto firmaretur. quia, quod sui naturâ illicitum est, consuetudine non fit licitum- d. c. mala. de consuet. Quanquam DD. concedant, quod etiam Prava Consuetudo, excuset à pænâ temporali & huius mundi; præsertim, quando Prauitas consuetudinis per Ius non est declarata: nunquam tamen excusare potest, à pæna Gehennali & apud Deum, in alio mundo.

IV. ut Consuetudo inducatur contraria legi & usui priori, illumq; aboleat, requiritur Scientia principis, & eius saltem tacitus consensus; qualem Principem in rebus Ecclesiæ, & monasteriorum Papam, agnoscimus ut qui pro Deo est. Et quidem scientia in eo requiritur certa & sufficiens, nec per errorem obrepens, quia aliter nec Voluntas eius adesse, nec præsumi potest eius consensus, si & usus non sit ei manifestus. Et ratio est, quia circa res Ecclesiæ, leges condere vel illas abrogare, Pontificium est; proinde consuetudo, quæ canonem De ordinandis Abbatibus tollere nititur, debet ei esse nota & in quam consentiat: consentire verò ceu in rem uniuersali Ecclesiæ damnosam, & multis injuriosam, nunquam præsumendum est.

Atq; hac doctrinâ suppositâ, præ afferta Consuetudo in Polonia, vbi Clerici seculares in Abbates claustris imponuntur, contra antiquum Ecclesiæ decretum, quo soli professi monachi præfici iubentur, merito dubitatur, An sit talis consuetudo, quæ legem illam antiquam de monachis Abbatibus, abrogare valeat, & nouum ius, Præponendi seculares, constituere possit?

Et absolutè Dico, istam Consuetudinem esse prauam, irrationabilem, Ecclesiæ & reipublicæ perniciosam, in hoc Regno novam, per vim introductam, multorum malorum generatiuam &c. proinde corrigendam, non verò allegandam, quod & aduersarius noster, qui ei innititur, fateri debebit.

§ XVIII.

XVIII. Cum impetrarentur à Summis Pontificibus Diplomata, cum conderentur Statuta, & Leges, cum laboraretur in Synodis, in æstu controuersiarum: Consuetudo immarscescibilis viguit. Abbates gente Nobiles, à Regibus Nominatos Abbatiis præfuisse, ipsis Monasteriorum Cætibus sic volentibus. Electi cum scitu Loci Ordinariorum prout lex lata. Pro veritate & in comprobationem relatorum, unicum Episcopatûs Posnaniensis stet Archiuium, quanquam & Vladislauiense plura suppeditat, quæ subijcere hic fastidium vetat. Ab Anno 1442. ad Annum 1612. & infra ex nominatione Regia, & intimatione Episcoporum, Abbates electos fuisse constat. Namq; anno præmemorato Die 28 Decembris Nicolaus Abbas Lubinen: in manus Andreæ Episcopi Posnaniensis Abbatiam resignauit, & de nouo Abbate prouideri postulauit. Anno 1552. Petrus Kamienski Bledzeuiensis, & Io. Bielecki, cū consensu Benedicti Izbinski Episcopi. Anno 1558. Stanislaus Wierzbinski Paradisien. cum cōsensu Czanrkouii, & Anno 1560. Ioannes Węgorzewski Præmetensis. Anno 1570. Lucas Koscielecki Lubinensis, cum consensu Konarii Episcopi. Anno 1577. Ioannes Bronikowski. Anno 1579. Andreas Koscielecki. Anno 1594. Sebastianus Grabowiecki Bledzeuiensis, cum consensu Lucæ Koscielecki. Anno 1597. Ioannes Brzeznicki Præmetensis. Anno 1604. Iacobus Lempicki Lubinensis, & Christophorus Karsnicki, cum consensu Goslicij. Anno. 1607. Stephanus Charbicki Præmetensis. Ioannes Dluski Bledzeviensis Abbates, ex Nominatione Regia Electi, &

con-

constituti, usq; ad Constitutionem hoc eodem Anno 1607. latam, finaliter ac postmodum successiuè instituti & introducti fuêre. Ita res, prisca Consuetudine & legibus firmata obtinuit, & hodie etiamnum tenet.

℞ Singularista Abbates aliquot ex Archiuio Posnaniensi educit, in comprobationem assertæ suæ consuetudinis; sed umbras solas pandit; nam plerię illorum, ante fuere vel actuales monachi, vel à Conuentibus postulati, tum Rege confirmante, non verò nominante, sicut nunc fit Vt hunc & non alium, sedes Abbatiales insedisse.

§ XIX.

XIX. *Scis? quibus sedes Episcopales, & Curules Senatorios designarit in Polonia, Leo X. in Bulla Provinciali Lib. I Constit: Synod. inserta & recepta. Qui, inquit, Consilio, verbo, Authoritate, & Exemplo præsint. Pari passu Abbates cæteriq; Prælati sæculares, cum in Procerum consessu Censoriam Dignitatem, & Vicariam Regis Potestatem, sub Iudiciis Tribunaliciis gerunt, generis Pr sapia, pares sint, est necesse.*

℞ Quales Episcopos in senatum cooptari vult Leo X. tales & Abbates monachis præponi æquissimum est, qui in rebus monasteriorum suorum, consilio, verbo, authoritate & exemplo præsint. Iam vero Boni & Veri Abbates, nũquam in Iudices Tribunalis deputari ambiunt, sed si deputentur, integerrimè versari consueuerunt, uti decet professos religionem & pietatis candorem. Prosapiam autem generis, quamquam omnes Abbates monachos, quos norim habere sciam, non eam tamen Thrasonicè iactant, quia virtute malunt quàm sanguine niti.

§ XX.

XX. *Quamobrem Constitutiones illæ seu potius Consultationes de Electionibus Abbatum euanidæ, antiquatæ, nunquam ad usum aut in Praxim reductæ, in desuetudinem abierunt, prout ex posterioribus Constitutionibus patet. De Abbatiis, Vacantibus. De præsidentia Electionum, non absq; Regis Nominatione intimandarum & peragendarum. De Iudicibus Tribunalis Regni. De interessentia Episcoporum Comitiis, à quibus illæ vetustiores suffocatæ, & ut gliscenti obuiaretur hæresi ab Episcopis æui subsequentis sublatæ.*

℞ Constitutiones illæ Synodales, sacræ & ab Episcopis totoq; Regni clero con-

concorditer factæ, à sede etiam Apoſtolica confirmatæ, in ſuo robore manent, tametſi prævaricatio damnabilis & non ferenda pravorum ambitio, in eas peccare non deſiſtat: at futurum melius æuum non deſperamus, quin in antiquã praxim uſumq; reſtituantur. Illa verò ſtatuta civilia, quæ profani avariq; homines, quin & in fide ſuſpecti procuderunt, cum ſint Eccleſiæ Dei exitialia, Regno huic incommoda, omnibus probis inviſa eradenda expungendaq; in brevi credimus, & res apud nos, moribus antiquis currere, Deo annuente ſpectabimus.

§ XXI.

XXI. *Neq; corruptela dici poteſt illa Conſuetudo, quàm ſana Ratio conſeruandæ Religionis Catholicæ, & totius Reip. integritatis aſſerendæ inuexit. Cùm non aliter Hæreticis & Schiſmaticis in Regno præpotentibus reſiſti. Bona munificâ Principum manu & Procerum liberalitate collata ab Inuaſionibus defendi, à licentia & direptione militari protegi, ab oneribus bellicis vindicari, immunitatem locis ſacris, & perſonis Eccleſiaſticis ſeruientem inconcuſſam ſeruari, extremis Eccleſiæ & Reipublicæ caſibus ſubueniri potuerit, niſi ut ſanguine præpotentes, cognationibus validi, opulenti Opulentum tuerentur Patrimonium Chriſti.*

℞ ô Homo, magna te dementia tenet, dum hoc garris & laudas, quod omnes rident & damnant! ubi Intruſi Abbates conſeruandæ Religioni Catholicæ operam vel minimam dedêre? vel quando à militari direptione clauſtra protexêre? Reliqua, quæ ventosè ſcribis, euanida ſunt: benè vident omnes, quod in Poloniâ Viri & Heroes ſangvine præpotentes, cognationibusq; validi & opulenti, de ſuis patrimoniis ſufficientes ſibi, contenti manent hæreditariis bonis; ſoli verò inopes & tenuioris ſortis homines, cum præ egeſtate domeſticâ, emergendi in publicum non habeant alium modum, togam clericalem induere ſolent & aulæ Regiæ limina obſervare, intenti ad omnem occaſionem, ut datâ vacatione alicuius Abbatiæ, Abbates nominentur, & titulo gaudeant, & pingueſcant ex patrimonio Chriſti. idq; adeò verum eſt, ut paſſim dicatur de talibus, qui ex pauperioribus euadunt animoſiores, Pinguis eſt panis Chriſti.

§ XXII.

XXII. *Iuſpatronatus res ſpiritualis, ſæcularibus Perſonis ab Eccleſia Dei conceſſa non aliam ob cauſam, niſi ut egeſtate preſſis ſubuenire-*

tur Patronis. Crediderim morale fuisse ultra lucrum Animæ, cuiq; Abbatiarum Fundatori; ut fatiscentes Familiæ amplo & copioso reditu, earundem releuarentur. Et Nobilium surculi eruditionis & literaturæ subsidiis utilitati Reip. succreturi expoliantur; idonei postmodum togâ sagoq; bellisq; gerendis. Aduerte verba. Statuti Tit. spiritualis. Cùm magna pars, inquit, Reipubl. nostræ in ordine & Statu Ecclesiastico consistat. Ecclesiæq; Regni Nostri, per Antecessores Nostros, sint ampliter dotatæ: cùm ad diuinum cultum peragendum & manu tenendum, tùm etiam ad Viros literatos & idoneos, maximè verò Nobiles promouendos, quorum pauci essent quibus & animus, vel facultas esset literis incumbendi & alia studia per quæ emergitur sectandi, nisi bona Ecclesiastica, non solùm facultatem vivendi, sed etiam opem multis se & suos subleuandi præstarent. Vnde Nobilitas Regni, quæ potissima est istius Regni portio, & cuius Domus & Familiæ partim multiplicatione prolis, partim etiam alijs euentibus plerumq; extenuari solent, præcipuum habeat status & prouectionis suæ subsidium & adiumentum: ac cum successu temporis multi indigni homines Variis artibus & præsertim Romanis impetrationibus, sese ad Sacerdotia ingererent, ac illa Viris dignis & idoneis præriperent; Antecessores Nostri multiplicibus Statutis, & pœnis grauissimis Collationes suas, & subditorum sæcularium, asseruerunt ac defenderunt.

℟ Non hæc causa movit Ecclesiam, quod Iuspatronatus laicis concesserit, ut illis egentibus subveniretur de fructibus Ecclesiarum; sed remunerationis cuiusdam & gratitudinis ergò, ut hac ratione magis prouocentur laici, ad fundandas & dotandas Ecclesias: quod verò egens factus Collator, ab Ecclesia aliquando stipem petere possit & subsidium, ad hoc quoque tenetur Ecclesia, præcepto charitatis & vi gratitudinis.

Cæterum constanter affirmo, si pii fundatores monasteriorum, scivissent futurum aliquando tempus, ut amplo & copioso reditu, ab illis, monasterio & religiosis donato, ali & sustentari vanitatis sectatores & profani homines deberent, nunquam se exspoliassent, ut tales ditarent. Sed crediderunt, nunquam eò temeritatis mortales processuros, ut quod illi Dei causa, pro animæ suæ com-

modo, pro redemptione suorum peccaminum, pro subsidio pauperum, in eleemosynam monachis liberaliter contulerunt, hoc in pompam & luxum cleri secularis auderent conuertere.

§ XXIII.

XXIII. *Mixtus est in Regno Poloniæ Reip. Status; longè diuersa ab aliis Rebuspub. facie. Subsellia in Senatu, & in Iudiciis Regni Tribunalitiis, Spirituales primi cæpêre, & ubi desunt multa desunt. In ea dignitate, pro dignitate, quâ ratione muniis sufficerent cum equos, famulitium supellectilem, comeatū censere, sumptibus quotidianis exhauriri, curis in publicum impensis, domestica deserere, aliis inseruiendo consumi, aliorumq; Officio sibi officere, extra seipsum viuere, pene sint adstricti.*

℞ Hæc allegatio, sicut & pleræq; aliæ, nil facit ad propositum. Abbates Regni nostri, subsellia in Senatu non occupant, neq; ad Tribunalia, nisi deputentur, veniunt: non est opus itaque eis, currus & equites censere, ac stipari maiori famulitio, quam illorum vocationem deceat: sed vacare Deo, interesse choro, & fratrum conuentum dirigere, proprium munus Abbatum est; à sæculi verò actibus, uti Regula iubet, alienos se facere, obligantur.

§ XXIV.

XXIV. *Si priuatis & proletariis Abbatiæ atq; aliæ Prælaturæ cederent, Senatum minorari, Tribunal Regni attenuari, Aulam deseri cerneremus. Sic fraudaretur Cancellarius Ecclesiasticus & alter Maiestatis Reginalis, Secretarius Magnus, Referendarius Regni, Notarius Thesauri, Secretarii, Commissarii, Iudices Parlamentarii, Assessores Iudiciorum, Residentes in exteris, & alii Curiales intimi, in obsequio Regis, & Reipub. attritis Patrimoniis, omni spe præmii, & adminiculi excluderentur. Senatûs Consiliariis, Rex Ministris, Tribunal Iudicibus, Subsellia Assessoribus diminuta, pristino splendore exuerentur.*

℞ Tumescit instar ranæ Æsopicæ scriptor, & verba vendit. Sed dic sodes quæso? quomodo prisco illo æuo, monachi Abbatisabant & tota respublica Polona, in maiori flore erat, cum tamen subsidia & subducturas, Aulæ Regiæ ministri, à claustris non requirerent? at multiplicati nunc sunt Curiales Clerici, & omnes fameliei, qui per unum tramitem in altum contendunt, sua obsequia Aulæ ultrò offerendo, ut Abbatiis quandoq; potiantur.

Me-

Memini quendam Palatinum ſuper hac re dixiſſe; Clericos in Aula & in Comitiis ita numeroſos eſſe, ut ſuis non neceſſariis officiis, multis officiant, qui deſertis Plebaniis & Canonicatibus, ad prædam quaſi, in aulam convolant, abſq; quibus publica res melius diſponeretur. Recte ne dixerit, non imprudens homo, non diſquiro, eſt tamen euidens, quod Curiales Clerici ita ſe gerunt, ſicut paſſeres in tritico agricolarum

§ XXV.

XXV. *Epiſcopi tenuiores anguſtâ re domi, foris in publicum prodire, Conſilia opportuna ſubtrahere, Reſidentiam ad latus Regis lege cautâ omittere. Particulares & Generales Conuentus, ad quos ſub pœna Mille Marcarum per Conſtitutionem. Vltimæ Synodi Węzykovianæ à ſummo Pontifice Vrbano VIII. approbatæ irrogatâ, venire tenentur; refugere, nullius eſſe uſus publici cogerentur. Ita Religio, Eccleſia, Reip. adminiſtratio, Conſultationes in publicum, Bona Spiritualium, Familiarum decus periclitarentur.*

℞ Anteriores Regni poloniæ Epiſcopi, ditiores modernis nunquam fuerunt, & tamen plura Abbatialia monaſteria fundarunt & dotarunt: moderni verò, habent auctiores prouentus, quam aliorum Regnorum Epiſcopi, ex quibus congruè ſuſtentari poſſunt, modò vivatur, ad neceſſitatem, non ad opinionem vel pompam. nam de Gamrato, rectè Starovolſcius ſcripſit, quod obſequiorum aulicorum ſedulitate evicerat, ut ſimul utramq; ditiſſimam ſedem, Cracovienſem & Gneſnenſem tenuerit, nihilominus oberratus è vitâ ceſſit: quia (inquit ille) in aula ſua, ſymphoniſtas, paraſitos, ſycophantas, mimos atque ludiones fovebat.

§ XXVI.

XXVI. *Regis Maieſtati quantùm decederet, ademptâ collatione Abbatiarum & Epiſcopatûs ſequerentur. Cæterum Parochialibus beneficiis vigore gratiarum delatis ad locorum Ordinarios, nihil reſidui Regibus præter ſæculares Vacantias, quæ prauo exemplo per Palatinatus Electionem expeterent, relinqueretur. Potior Commiſſarii Ordinis Regularis munificentia foret, qui Abbatias pro arbitrio diſpenſaret. Secretarius (ut vocant) Prouinciæ deſignaret. Illa iuſtitiæ Diſtributiuæ amplitudo, quâ principe Europæ Rex Poloniæ ſuperabat, euaneſceret.*

℞

℞ Priori illo aureo sæculo, æquè venusta fuit Regum Maiestas; etsi abstinerent à Nominationibus: neq; modo coarctata est manus eorundem, quin remunerari valeant, necessarios Aulæ suæ ministros; modò & ipsi ministri, contenti velint esse, proportionatis sibi stipendiis, & non affectent sibi vetita.

§ XXVII.

XXVII. *Statuta Regni hoc in passu dant rationes latæ Legis. Vbi igitur Ratio quæ est mens & anima Legis locum habuit, ibi habet locũ Legis dispositio, etiamsi esset contra Ius Commune. Hoc legistarum placitum eruditè illustrat insignis Iure consultus. Aloys: Riccius Neap. in Prax. Rer. quotid. Res: 452. Antiqu. edit*

℞ Ridicula illa statuta, nullam rationem iustam, ex qua Abbatiæ secularibus Clericis dandæ essent, continent, proinde irrationabilia & temeraria sunt, imò execrabilia & excommunicata: cum Sacri Canones, omnes secularis & profani Ordinis homines, excommunicatos esse, decernant, quoquomodo audentes aut præsumentes facere statuta præiudiciosa in rebus Ecclesiæ, super quas potestatem non habent. Fuisse autem iniquissimas leges illas, à solis laicis, eisq; Rokosianis latas, Protestationes Antistitum, contra eas factæ declarant.

§ XXVIII.

XXVIII. *Prisco illo æuo Electiones Monachorum viguisse non ambigitur. Cùm à primordiis Christianæ Religionis Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Itali, Galli, Alemanni, gubernarent: Fidei mysteriorum & politioris literaturæ callidiores Polonis: quibus, ut antea ipsismet simplicitas rudis antefuit. Pariter & in Ciuilibus Iura Teutonica, Saxonica Magdeburgensia inuecta, & cuiq; potiori Ciuitati Germani Præsides, Consulesq; erant. Acta quoq; publica linguâ Flamengâ scribebantur. Æuo politiore, & cum externi insolescerent, vel partis abuterentur; Respublica correxit seipsam, ambitus externorum repressit Classes Ordinum in Senatorium Equestrem & Plebeium diuisit, leges tulit, quæ futura respiciunt non præterita. Hinc Plebeij manere in sua Classe iussi. Nam spiritualis Nobilis tantùm est (ut vocant legistæ) fictione Iuris.*

℞ Sicut aurum non adulterinum, sic ætas præterita, præsenti melior fuit: & quemadmodum, moribus antiquis, stabat res Romana, virisq; ita ò utinam starent res Polonorum, iuxta veteres mores. ast noui, prauiq; introducti, de

quibus

quibus Maiores nostri nunquam cogitarunt; propter quos etiam res nostræ in peius collabuntur. Multæ Prouinciæ à sceptro Regni sunt auulsæ, quia virtus bellica inter Equites decreuit, qui solâ opinione Nobilitatis tumidi, cum sibi omnia arrogent, galeas deposuere & arma, & de sola nobilitate & sanguine generis inter eos disceptatur.

Contrario verò modo, gens Turcica progreditur, quæ natales suos, suam fortunam esse ducit. apud quos etiam, illi qui rerum primas à Principe tenent, ferè sunt pastorum aut bubulcorum filii, de quo tantùm abest, ut eos pudeat, ut etiam inter se glorientur, eoq; plus sibi tribuunt, quò minus maioribus, aut natalium fortunæ debent. Neq; enim aut nasci, aut propagari traduciue virtutem putant, sed partim à Deo dari, partim bonâ disciplinâ, multoq; labore & studio comparari; utq; paternam artem nullam, non Musicam, non Arithmeticam, non Geometriam, sic nec virtutem ad filium, aut hæredem transire, nec animam ex semine paterno suscitari, ut filium patris similem nasci necesse sit, sed cælitus in corpus infundi credunt. Igitur, eâ in gente, dignitates, honores, magistratus, virtutum & meritorum præmia sunt; improbitas, ignavia, inertia, nullo honore pensantur, iacent, contemnunturq;. ergo illi rebus benè gestis florent, dominantur, imperii fines quotidie proferunt. apud nos aliis viuitur moribus, virtuti nihil est relictum loci, omnia natalibus deferuntur, & opinione natalium, omnes honoris aditus occupantur.

§ XXIX.

XXIX. *Plebeÿ Abbates ignauiâ diffluebant & diuitiis. Alemanni proximâ labe Lutheranismi aspersi, aut in sacris nutantes Bona Abbatiarum emungebant & discerpebant. Reditus opimi extra fines efferebantur. Quidquid quæsitum sibi ad priuatos usus intuitu Monasteriorum vetitâ testandi facultate acquirebatur. Quâ re Antistitum Concilium sub Gamrato cognitâ statuit Prouinciale Edictum. Cum pleriq;, ait, Abbates Præpositi & Abbatissæ, villas & Bona Monasteriorum suorum, & Iurispatronatûs Ecclesiarum hactenùs alienarunt, &c. Decernit hæc Synodus, ut* DD. *Episcopi Monitoria contra tales Abbates &c. Decernant. Ex quo legem illam plurimum proficuam. Post mortem Abbatis vel Præpositi Regularis Loci Ordinarii bonum ordinem Monasteriorum curent, Prouentibus in potestate Monachorum relictis. Electionem*

nem verò Episcopi morte defuncti Abbatis significatâ, quamprimum indicant, de eoq; cum Rege communicent, & Consuetudinem veterem obseruent. Electum competenter Regi significent, à Rege præsentatum instituant. Legem inquam illam non aspernati, obseruant; & in usu etiamnum hodie habent. Recurre ad Constitutiones Regni 1550. & 1588.

℞ Sicut lolium inter triticum, ita in cœtibus regularium peruigilium, remissiores inueniuntur quandoq;, qui vel immoderatione offendunt, vel ignauia marcescunt: soletq; imperfectio ista, aliquos etiam Abbates corripere. Sed nunquid Abbates intrusi, meliores censendi sunt? qui semper in mundana conuersatione degentes, non quæ spiritûs sunt, sapiunt, sed quæ carnis & mundi illecebræ suadent.

XXX.

XXX. *Palam obscurioris conditionis Clerici, & alij Presbyteri, è cœtu Illustrium Virorum ab Episcopis amoti, cùm Ecclesiarum Cathedralium Statuta conderent approbarentq;, De non recipiendis Plebeis inter Canonicos, ex quibus creantur Episcopi & Abbates, indicant qui & quale Abbatiis gubernandis designantur.*

℞ Plura sunt apud Polonos, eiusmodi Statuta, quæ non tantùm Diuinæ iustitiæ rigorem mitigare præsumunt, verùm & Deo cunctipotenti, eripere gestiunt facultatem istam, ne agat Deus quod potest. Cum enim in voluntate & determinatione ipsius positum sit, etiam de stercore erigere pauperē, & talem, cum voluerit, collocare posse cum Regibus & Principibus terræ; soli Poloni contradicunt & decernunt statuta, ne plebeiis apud eos hominibus ad aliquas dignitates, tàm Ciuiles quàm Ecclesiasticas, aditus patere debeat, tametsi virtutibus & eruditione ita excellant, ut pauci ex nobilitate cùm eis componi & comparari possint. Fortasse â Malabaribus Indis has legum sanctiones mutuarunt, quos Osorius de gestis Emmanuelis Regis lib. 2. scribit, vel potiùs deridet, ita nobilitatem à maioribus acceptam metiri & circumscribere, ut neq; nobilitatem obscurari flagitiis, neq; generis nobilitatem illustrari virtutibus, credant; sed omnibus illa conditio necessario sit subeunda, in quâ Majores eorum versati sunt.

Hac præuentum indole, quendam Præsulem Poloniæ, scribit in Alloq. Osecen. Cichocius, qui postquam pulsi essent à Cathedralibus Ecclesiis plebeii, quamuis doctissimi & pietate commendatissimi Viri, apud Regem Sigismundum Primū

obtinere

obtinere voluit, ut more Iuliani Apostatæ, plebeiis, tanquam hi Christiani non essent, scholis & gymnasijs bonarum artium interdiceret: cuius postulationi iniustæ, Rex obstitit, non multos Sacerdotes se reperturum in suo Regno affirmās, qui essent Parochi tenuiorum villarum, vel vicarii aut Cantores, â quorum officiis Nobiles abhorrere solent.

Ac Ciuiles quidem magistratus, esto solis Nobilibus genere conferantur, cum hæc munia mundana sint & pompam sectentur; cæterùm in Ecclesiasticis functionibus, virtus sola & merita considerari debent, cum diuersa ratio sit spiritualis statûs, â profano laicali Et ut ad caput nostrum, obtutus reflectamus nostros, Christus Dominus ad Apostolatum, qui est summus in Ecclesia gradus, nullum legitur delegisse stirpis alicuius nobilis vel illustris, sed potius piscatores humiles & abiectos. Piscatores, piscatorumq; filij fuerunt Petrus Apostolus & Ioannes Evangelista, tantaq; postea diuinæ gratiæ assecuti sunt incrementa, ut nominis sui sanctimoniæq; magnitudine, totum orbem terrarum repleuerint. A Petro Apostolo demum, idem Christi institutum, apud posteros Pontifices, longâ serie mansit, qui in summum dignitatis Pontificiæ fastigium evecti, natalium splendore illustres non fuêre.

Et ne domestica contemnamus, noster Stanislaus Hosius Cardinalis, & Martinus Cromerus Episcopi Varmienses, quamuis plebeij habiti, nonne tot Nobilium & illustrium Episcoporum in hoc Regno, famam suis virtutibus & scriptis doctissimis, nunquam intermorituris superauêre? De multis Episcopis, an aliquando fuerint, ne auditur quidem, nisi inter suæ cognationis genrē; at horum nomen, quocunq; te per orbem verteris Christianum, omnium ore decantatur & celebratur.

§ XXXI.

XXXI. *Collocatum etiam Iuspatronatus Principum inter Regalia, & de non alienandis Reges Sacramento obstricti. Etsi quis illud usurpare præsumpserit infamem lex dixit, & Bonis publicatis proscriptū. Vti Statutum Regni fusiùs loquitur verb. Iuspatronatus.*

℞ Iura Divina, & Iura Regalia violare nemini fas, sed & unum cum alio confundere magnum quoq; nefas. Suo Iure contentus Rex, in Iura Diuina involare nequit, ne violare dicatur. Testatur scriptura sacra, qualiter Ozias Rex, prætergressus officii sui limites & incensum adolens, subito lepra percussus sit, non minori piaculo tenetur, qui se sacris & religiosis rebus disponendis ingerit præter solitum.

§ XXXII.

XXXII. *Cum Regalia Principibus Regibusq; sit moris facto propugnare non Iure, Dedecet Maiestatem Regiam de Iuribus suæ Collationis litigare. A Rege Batoreo Demetrius Sulikouius, ut refert. Heidensteinius sup. cit. Romam missus intentus in conatus eos iussus esse, maximè si in Iudicio Rctæ, aliquid susciperetur, Ne in controuersiam ullam Rex descenderet.*

℞ Nec bella mouere, nec quidquam agere Principes boni solent, nisi jus & iustitia poscat; uti autem potentiâ, cum repugnat iustitia, est abuti potestate datâ in ædificationem, non indestructionem. Litigare quidem dedecet Maiestatem, sed non minus indecorum est, à Iure recepto & viâ iustitiæ recedere. Nimium laxant mentes Principum tuæ assertiones ô astute Singularista!

§ XXXIII.

XXXIII. *Lex iubet non disputat. Rex ablegat adElectiones Abbatũ, Nuncios & scribit, ut eligatis hunc & non alium. Ab immemorabili stylum hunc Curia Rom. Suscipit, cui nunquàm Religiosi sese opposuerunt.*

℞ Leges iustæ in dubium non vocantur, nec de eis disputatur, sed obseruantia earum indicitur. Tuæ verò leges Draconinæ, in causa Abbatiarum compositæ, euidentem continent iniustitiam. Stylum quoque ferreum, talem, Vt hunc, & non alium eligatis, quem asseris Romæ acceptari, nimium decredo; nã Iura Ecclesiæ & Curia Romana, adeò imperiosas electiones, respuit & violentas docet. Postulando verò, & non imperando, Romam venitur, & quod artificiosè petitur, obtinetur. Fiunt enim Postulationes nomine Monachorum, (qui repugnantes & contrarii in hoc passũ; ubi jus illorum de eligendo liberè Superiore perfringitur) confictæ & suppositæ, in quibus exoratur Pontifex, ut de tali N. personâ, in Administratorem designandâ, prouideatur monasterio, ex cuius vigilantiâ, multa bona obuentura claustro, vanissimè imponuntur. in Curiâ, datur ut petitur: accedente præsertim Regiâ commendatione, quæ multas attollere solet concinnatas qualitates personæ, quæ intruditur ad gubernium claustri. in quo facto,, ô quot peccata committuntur à multis, mendacij & iniustitiæ ubi totæ preces falsitate nituntur, cum tamen ad valorem rescripti, clausula necessariò desideretur, ut preces veritate nitantur.

§ XXXIV.

XXXIV.

XXXIV. *Iuspatronatus Principum, Magnatum, vel alicuius vniuersitatis seu Familiæ, quæ plurimùm pollet authoritate inquit Piasecius: Præsumitur potiùs ex usurpatione, præsertim in locis in quibus similes personæ exercent Iurisdictionem, quæ tamen usurpationes firmãt Iuspatronatus priuatorum, quantò magis Regnantium.*

℟ Paulò superius dixisti, Fundatione & Dotatione, acquiri Iuspatronatus, modò usurpatione allegas, & quidem tali, quæ idem sonat, quod Despoliatio, & rei alienæ vendicatio, vel ablatio. non est mos iste Regnantium, usurpare aliena contra Decalogum, sed alterius farinæ hominum.

XXXV.

XXXV. *Claret Iuspatronatus Regium & Abbatiarum Collatio Regum Polon. etiam apud exteros. Libro cui titulus Breuiarium Orbis hodie Imperandis. Quærit Author. Quænam potest solus Rex in Polonia? Solus Rex respondet, potest Magistratus, tùm Sacros, túm Ciuiles constituere. Magistratus sacri, quos Rex solus constituit sunt Episcopi & Abbates, quos tamen non ex pacto solum, sed ipso Iure quoq; constituit: adeoq; in hac re Rex Poloniæ ipsos Germaniæ Imperatores vincit (ut ibi Germanus scriptor loquitur) sed & Seuerinus de Monzabano Neotericus hæc habet: Rex Poloniæ ipse Episcopos, & Abbates nominat, Palatinos Marschalcos, & Cancellarios, Thesaurarios, Ducesq; Militiæ creat. Reditus Coronæ dispensat & Præfecturas distribuit: Deniq; Vniuersos Reip. honores prout ipsi placet confert, habetq; omnes in manu remunerandi, Beneficioq; afficiendi, quoscunq; voluerit modos.*

℟ Legas, velim, Conscientiosum, optimæ notæ librum, vel certè Veridicum authorem pium, qui Regnantes quid possint & debeant facere, docet; Suprema Regni cura, & maximarum rerum dispositio ad illos spectat; minora, ut muscas non curat Leo, neq; Princeps; Guardianos & Abbates in claustris ordinare, infra Regiam dignitatem est, ad maiora enim manus & brachia Regum extendi debent.

§ XXXVI.

XXXVI. *Non est Regum potestatis quidquam de Iurepatronatûs demittere, cum per Pacta Conuenta specificè iuret. Se Regalia non alienaturum*

turum, quin imò defensurum. Neq; Ordines Regni aliter Regem eligũt. Ac præcipuè Serenissimo Regi feliciter nuper Electo, & coronato Pactis iuratis, id præscriptum est.

℟ Inter Regalia, nunquam Abbatum ordinatio computari debet, neq; olim, Reges hoc jus vendicabant sibi; quin etiam Ordo Equestris & Nobilitas Regni, regnante nuper Serenissimo Michaele, diligenter in Senatu instabat, ne amplius Monasteria per Commendas affligerentur, in quam sententiam, Proceres statûs Politici omnes inclinabant, dolentes interitum antiquissimorum monasteriorum, aliqui tantùm Antistites, priuatorum commodorum respectu, visi sunt repugnare, quos Minores Clerici in Aulã commorantes, Secretarij, Adstantes, & reliqua cohors famelicorum & dentes parantium ad comedendũ panem Regularium, irritabant & ad contradicendum accendebant. fuitq; hoc negotium, futuris Comitiis, pro ulteriori decisione seruatum; quod utinam rursus in consilium, operâ proborum virorum introducatur, & publico laudo, hæc causa, tam pia & Regno utilis determinetur, ut Clerici suis Canoniis & Parochiis contenti maneant, & sua importunitate Maiestatem Regiam non perturbent, pro conferendis Abbatiis, ad quas Clerus secularis ineptus est, & legibus sacris amotus.

§ XXXVII.

XXXVII. *Norunt Catholici Europæ Monarchæ, nunquam Concilio Tridentino id mentis fuisse, Iuripatronatûs Regum & Principum derogare, uti deducit Piasecius. Illæ verò dispositiones Sac: Concil. Trident. ut Regulares Personæ eiusdem Ordinis professæ Abbatiis præficiantur, & si quæ sunt aliæ: Consultiuas tantùm esse docet Celeberrimus Iuris Doctor Stephan. Gratian. Et vigere tantùm ubi Regum Collationes non interueniunt. Secus aliter: ut in Regno Poloniæ, Hispaniæ, Galliæ, ubi merentes in Aula hæc præmia sumunt. Imò sæpè contingit plures Abbatias uni accumulari. Hattonem Archiepiscopum Moguntinum Duodecim Abbatiis à Regibus Germaniæ præfectum fuisse, longè retrò anteactis temporibus adfert Coring. Vt in Gallia recentiores Rischelium & Mazzarinum omittam.*

℟ Dispositiones Sacri Tridentini Concilij, quæ Regulares personas, eiusdem Ordinis professas, Abbatiis præficiendas esse statuunt, Decretoriæ sunt non Cõ-

sultiuæ,

fultiuæ, & legem faciunt, contra quam Catholici Reges præsumere non debent, cum per suos legatos in eiusdem Decreta consenserint: quidquid dicatur ab aliquibus ambitiosis & auaris Clericis, qui Regibus malas doctrinas insusurrant, & ad suum quæstum multa conuertunt, quorum insatiabilem auiditatem stupet mundus & detestatur. Egregium certè exemplum in Hatone Moguntino Archipræsule ponit singularista, quem duodecim Abbatiis auctum fuisse dicit; quem ego potius, Dolium pertusum, & vas Danaum inferniq; hiatũ ausim scribere, sicut & Richelium, Mazarinum, cæterosq; beneficiorum Ecclesiæ comestores & voragines, Epulone Evangelico, qui de suo epulabatur, peiores, non Præsules sacros & Christi ouilis pastores.

Neq; minorem iniuriam vel infamiam inurere videtur idem scriptor singularis, ipsis Maiestatibus Regiis, qui Reges Poloniæ, Hispaniæ immeritò censet, quod Clericos in Aulis suis merentes, collatione Abbatiarum præmiare assoleant, quasi ærariis ipsorum desit aliud, quod satellitibus vel ministris suis pro seruitiis præstitis retribuant, nisi cogantur, contra Regalem munificentiã & bonam Conscientiam, ius & sortes pauperum Monachorum inuadere, & eos Cerberis deuorandos contradere.

§ XXXVIII.

XXXVIII. *Sicut æqualitas, ita respectus vicinorum Principum obseruatu non incongruum suadet, ut Rex Iuriumpatronatûs, quæ sunt Communia Principibus tenacior sit: ne tenuiori lenitate Imperatoris & Hispaniæ Regis exemplo, occasionem præiudicij pariat, illudq; patiatur.*

℟ Pietas Catholica suadet, ne leges Ecclesiæ contaminentur; terrent exempla Gallici abusûs, ubi sacra profanis miscentur; invitat & ad sui imitationem trahit, Augusti Cæsaris & Catholici Regis optima consuetudo, in quorum Regnis Intrusi Abbates non inueniuntur.

XXXIX.

XXXIX. *Periculosa res est Principibus incuria Iurium Maiestatis, aut lapsus; Henricus V. à Synodo Rhemensi excommunicatus instigante, Calixto Secundo. Pacis obtinendæ gratiâ Vormatiæ, Iuri constituendi Episcopos, palam renunciare coactus est. Donec sæculo XIV. suborto inter tres Pontifices Schismate, dum res Ecclesiæ fluctuant, Germaniæ Clerus libertati pristinæ consuluit, Episcoporum Electione ad Canonicos*

nonicos redeunte, Ius Inuestituræ Cæsaribus, circa Curiam Romanam Confirmatio mansit. De Stat: Imper. Germ: superius allegat Seuerin de Monzabano.

℟ Periculosè Reges, ad res Ecclesiæ se ingerunt, quia Regnis quandoque ob id exciderunt; diversis enim confiniis clauditur, Monarchia ab Hierarchia: Diuisumq; imperium cum Ioue Cæsar habet.

X L.

X L. *Probabile fuit Fastorum Polon. scriptori Cromero, & Religiosissimo Antistiti. Et prima Religionum instituta obseruare, cùm dicit Lib. Polon: Descript. Abbatum & Præpositorum ligendorum Ius Collegia Monachorum hactenùs retinuêre, sed iam vix retinent ab Episcopis primum, deinde à Regibus etiam labefactatum & violatum. Et probabile eidem fuit utilitati Ecclesiæ necessitatiq; Reip. prospicere, quãdo concludit: Ad Electionem quidem certè Regius assensus & Episcopi authoritas accedat oportet.*

℟ Integerrimus Antistes Cromerus, sincerè testatur, Ius monachorum ab Episcopis primùm, deinde à Regibus etiam labefactatum & violatum esse. Ergo aperta illorum injuria, ubi tanta istorum violentia; ergò nequiter consuetudo allegatur, ubi corruptela esse cernitur!

§ XLI.

XL I. *Vim sibi illatam fuisse & esse passim in vulgus spargunt Regulares. Felix, prospera, fortunata vis Monasteriis pene cælitùs delapsa. Regem prout à primordiis Fundatorem, adepti sunt Patronum habere, Collatorem, Protectorem. Abbates nancisci illustres Magnatum Filios, negotiorum Reip. gnaros, sublimi Regis iudicio lectos, qui in Curia Negotiis non Otiis immersi, diu noctuq; pro immunitate Ecclesiæ, Libertate Patriæ, Dignitate Reip. Ministerio Regis insudantes in conspectu Principum pie, sobriè, castè, viuere didicerunt. Remoti externi, vicinæ Germaniæ peste Hæresum afflati, & à gubernaculis abstinère iussi, ignari, rudes, Patrimonium Christi dissipantes. Probè dispòsita munia, Fratres psallere, Abbates qui Regimini nati & magis idonei regere & gubernare constituti.*

℟ Igno-

℟ Ignorat futilis sugillator, quid Dist. 61. c. nullus invitis. Decretum Ecclesiasticum continet. Conueniens est, ut habeat unus quisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem, & in aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam, alter sibi vendicare audeat mercedem. idcirco salubriter à Sanctis Patribus ordinatum fuit, ut defuncto Abbate cuiusque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors Fratrum societas elegerit. 18. q. 2. c. quam sit. quia fit eis injuria, ex quo inter eos reperitur idoneus, si extraneus obtrudatur ut ait Abb. in c. ne pro defectu. n. 7. Ecce evidens iniuria, quâ grauantur Religiosi, dum eis homines alterius conditionis, irregulares & seculo dediti, super caput inponuntur, & stipendia debita, multis titulis quæsita, à majoribus sudore comparata, auferuntur.

De his verò illustribus magnatum filiis, quos stibio fucisque verborum depingit, lubet hic Tertulliani commemorare, qui lib. de ieiunio c. 2. de voluptuosis Prælatis scribit, & istis aulicis congruit, Quibus Deus venter est, aqualiculus altare, & sacerdos cocus, sanctus spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus, Prophetia vetus est, apud quos agape feruet in cacabis, fides calet in culinis, spes iacet in ferculis, quibus etiam dici potest illud Ioan. 4. Vos adoratis quod nescitis.

Dumq; claustri munia probè disposita, singularista asserit, nimirum Fratres psallere, consequenter istos Abbates aulicos, abaci ministros & officiales saltare & choreas ducere, quod illi probè sciunt, debebat subinferre.

§ XLII.

XLII. *Rex Patronus & Collator perpetuus, & immemorabilis. Nã sicut Episcopi in Prouinciis Poloniæ habent Ius præscriptum Abbates instituendi. Administratorem vacantibus Abbatiis dandi, Electionibus præsidendi (ut affirmat Piasecius Abbas olim Claræ Tumbæ) meritò dicendus Baldus Polonus. Ita Rex nominandi seu præsentandi Ius inter Iura Maiestatis censitum possedit & possidet præscriptione tanti temporis, cuius initii memoria non exstat.*

℟ Hoc jus quod adstruis Episcopis Poloniæ, ut Administratorem vacantibus Abbatiis imponant; Electioni præsideant; Abbates electos instituant, recès est, nouiterq; per illa statuta, alibi inaudita, consurgere cæpit, quod Iuri communi & ipsi rectæ rationi contrariatur, ac in Religiosos perperam extenditur.

Intrusio autem Regia, & Nominatio Clericorum seculariũ ad prælationes claustrales, totam planè euertit Regulam monachorum, qui absque Regulari Antistite, sunt sicut oues sine pastore, sicut nauis sine gubernatore, sicut locustæ sine capite.

§ XLIII.

XLIII. *Tanto tempore quæsita Iurapatronatûs Regibus Sedes Apostolica approbauit, & hodie etiamnum approbat, Nominatis à Regibus literas Prouisionis impertiendo. Scribit alicubi Cromerus: ante ætatem inquit nostram, Erasmus Ciołek apud Pontificem Priorum Sacerdotiorum Indulgentias in potestatem Regis redegit. Non piget exscribere, ut supra innuimus quæ Stanislaus Lubienski scriptor & Antistes integerrimus adnotauit, ut constet de continuò Beneplacito Summorum Pontificum. Andreæ, inquit Batoreo Cardinali Episcopo Varmien: loco Episcopatûs Crac: (quem contulerat Georgio Radziuiło, Cardinali Episcopo Vilnen: Sigismundus III. Rex, & promisisset antea Batoreo) Abbatiam adiunxit Czerwenen: ad quam cum in Sueciam iret Anno Millesimo Quingentesimo Nonagesimo tertio Mense Augusto diuertit, cum Archiepiscopo Karnkouio, & Episcopo Płocensi Baranouio, ut illius Abbatiæ possessionem traderet Cardinali Batoreo; quod quidem Rege præsente factum fuit, multùm renitentibus Monachis superesse adhuc Abbatem clamitantibus, & iura liberè eligendi Abbatis appellantibus. Sed frustra: Nam Germanicus Malaspina Nuntius Apostolicus ostendit, id Summi Pontificis voluntate fieri. Ni parerent præsens illis anathema interminaturus. Oper. posthum. part. 1. n. 8. Non tantùm hæc rata habebant Summi Pontifices, sed ipsi etiam Iurapatronatûs Regibus tribuebant asserebantq́. Monachi Andreiouienses in vita B. Kadłubkonis, quàm luci dederunt ipsi fatentur, Bartholomæo Powsinio Referendario Curiæ Rom. ad commendationem Clementis VIII. Abbatiam hãc à Rege collatam fuisse, ut infra patebit.*

℞ Pontifex non omnia illa approbat, vel suum eis beneplacitum iungit, quæ ad importunas Principum preces, pro illâ vice, dispensatiuè, permittit. patet hoc, in matrimoniis in gradu vetito, in diuortiis, in pluralitate beneficiorum,

rum, in cæcorum, claudorum &c. ordinatione; eodem modo se habet in permittendâ Commendâ alicuius monasterii; offeruntur ei Regales literæ, in quibus multis titulis commendatur persona, & qualitates eius Rhetoricè amplificantur, ac ut de paternâ subuentione Pontifex prouideat ei, committendo Abbatiam talem, quæ habitura sit magnam utilitatem, ex illius administratione: Postulatio quoque, nomine monachorum scripta, Loci Ordinarii consensus in eundem, præstò monstrantur: Procurator cum Camera de taxâ paciscitur, acceleratur Breue, & auolat in Poloniam. & ex hoc sinuosus infert singularista, Papæ beneplacitum, quasi eo rectè sciente, & benè volente hæc fiāt; sed artificium quis non videt & magnam peruersitatem? quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?

mutnegra & murua faciunt rectissima curua.

§ XLIV.

XLIV. *Sicut in Germania Capitulis Electio, Cæsari Inuestitura, Curiæ Rom. confirmatio competit, ita in Polonia Regi Nominatio, Curiæ Romanæ confirmatio pene ex Compactatis, seu ut vocant Concordatis Priuilegio Clementis VII. quod incipit. Cum singularem. Vbi dicit. Quod? Coadiutoriæ Ingressus & Accessus ad Beneficia usurpari non potest, nisi etiam ipsius Sigismundi, & pro tempore existentis Poloniæ Regis & Loci Ordinarii, ac Capituli illius Ecclesiæ, in qua Beneficium huiusmodi fuerit, ad id expressus accesserit assensus.*

℟ Sicut in baptismo, quale nomen infanti imponitur, tali semper appellatur, siue illud comptius, siue rusticanum sit; ita ex Nominatione Regiâ, Abbates intrusi prodeunt tales, quales Dominus dat, Domitiani, Nerones, vel Augusti Imperatores elati. Hinc magni refert, istam Nominationem & nouam apud Regulares Baptisationem admittere, ex qua multa mala consequuntur.

§ XLV.

XLV. *Regis Nominatione Abbatiis præfecti pro gloria Regij Nominis semper enituntur, correspondere suæ existimationi. Exinde ipsorum munificentiâ Ecclesiæ Dei, & Monasteriis multa bona fluunt. Aduertit has utilitates famosus nostri temporis moralium Scriptor ex ipso Cistercienti Ordine Ioannes Caramuel Episcopus Metiensis Suffraganeus Moguntinus, qui in Theologia Regulari scribens de Abbatiarū*

Commendatariis, utilius ipsis Abbatias collocari censet & ex multis & ponderosis rationibus, utiliores esse demonstrat Episcopos Commendatarios, quàm Abbates formales.

℞ Regis Nominatione euectis ad Abbatias, illud Claudiani quadrat:
auaritiæ, fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusq; potentum,
excubat, & pretiis, commercia poscit honorum.

Valet quoque, quod alter Poeta habet, de similibus Aulæ ministris; Blandus adulator per totam cursitat aulam,
Principis inprimis, Nobiliumq; fores.
A pedibus, sic nomen habens, mala bestia, totum
Infestat corpus, præcipueq; caput.

non alia obsequia Principi præstant, isti Abbates Aulici, nisi ea, ex quibus, quæstus quàm optimus prouenit ipsis.

In commissa verò monasteria, ita sunt liberales, sicut deprædator in silua, qui viatori, ablato pallio & marsupio, obulum porrigit spoliato. Aduertit benè, has utilitates Caramuel, nostri sæculi, Doctorum phænix, qui Commendatarios peius cane & angue insectatur; quem tamen legisse, Singularistã non puto, cum apertè falsa de illo dicat, quod sectæ Commendatarior. faueat.

§ XLVI.

XLVI. Iuspatronatus Regium nemini obicem ponit assequendæ dignitatis, & præmiorum pro meritis; quin imò tramitem monstrat. Rex virtutum & ingeniorum supremus Arbiter: ita Collationem suam temperat cum Instituto Regulari, ut non implicet prouehi Regularem Professum, dummodò sit utilis, & publico Bono accommodatus.

℞ Admodum utiles & publico bono commodissimos fuisse, & esse Professos Regulares, totus mundus agnoscit, dum ex Regularibus tot Episcopos, Archiepiscopos, Summos Pontifices videt factos. Orientalis Ecclesia in hodiernum usq; ex solis monachis Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas habet. In Hispania ut plurimùm Regulares ad Cathedras Episcopales à Rege exponuntur. Ante duos annos Pragæ in Bohemia vicina, D. Matthæus ex monacho Benedictino Archiepiscopus & Regni Primas, magno cum fructu Ecclesiæ illi præfuit. Neq; ita pridem Antonius Wolfrad Abbas Cremiphanensis Benedictinus, Episcopus Viennensis & Cameræ Imperialis supremus præfectus,

fectus, apud Cæsarem magno in pretio fuit. In aliis quoque Regnis, Regulares de monasteriis vel inviti extracti, ad Episcopatus prouehuntur. In sola Polonia Religiosi, pro nihilo reputantur, neque digni videntur, ut Abbates sint vel Præpositi monasteriorum suæ professionis; cum tamen inter Regulares tot & tales viri per Dei gratiam inveniantur, genere, virtute, doctrinaq; insignes, ut clerici aulici corrigiam calceamentorum monachalium soluere, vix digni æstimandi sint. Sed cum Regulares intenti ad opus Dei & suum spiritualem profectum, intra claustra libentius commorantur, & in publicum vel ad Aulas, non nisi accedente monasterij necessitate, diuertunt, ex eo inutiles & testudines vocantur.

§ XLVII.

XLVII. Iniquum foret de iniuria prætextu Iurium Maiestatis queri ab his, qui ultrò legem tulerunt in se ipsos, Nos inquiunt eiusmodi Abbatis Electionem intimare & notificare spondemus, & præsentibus pollicemur, ac etiam à Serenitate & Successoribus Legitimis votū petere, & consensum gratiosum postulare & impetrare, Stat: Reg. verb. Abbas. Hanc talem sponsionem & suam suarumq; Abbatiarum cum Iuribus Regiæ Maiestati ultroneam subiectionem, re ipsâ facto & secuto pluries effectu in realem & actualem ipsimet Monachi deduxerunt executionem. Cum non tantùm à Regibus Abbates sibi dari, conferri, & destinari peterent, sed quod cardo rei est è gremio sui electos exturbarent, & possessione Abbatiarum deijcerent, quibus depulsis & submotis à Maiestate Regia præsentatos dari sibi & substitui multifariè supplicarent. Ita Petro à Lwowek per Commissarios Benedicti Izbinski Episcopi Posnaniensis Abbatiâ Bledzouiensi detruso, à Rege datus & præsentatus Petrus Kaminski suffectus est. Adamus & Ioannes Colonienses potestate Episcopi loci & Regis Mandato, de Abbatia Obrēsi detrusi locum dederunt obtinendæ illius, Abbatiæ Ioanni Bielecki, per Maiestatem Regiam præsentato & pariter dato. Nec dispari ratione Ioannes Węgorzewski amoto & priuato, Stephano Siemienski ad Præmetensem Abbatiam à Rege substitutus est. Gostauium ex Paradisiensi Abbatia, Czarlinium ex peplinensi ipsi Monachi è medio sui lectos & creatos

atos

atos depulerunt, & à Regia Maiestate in locum ipsorum substituendos dari sibi alios petierunt postularuntq;.

℟ Contra injustitiam miseris irrogatam, nil superest remedij, nisi querulosis lamentis solari malum suum. Prorumpunt itaque in illa cum Isaia c. 24. verba. Possederunt nos Domini absq; te: absq; te, ut Glossa exponit, qui non habent timorem nominis tui Deus; si enim Deum timerent, alienum ius non inuaderent, neq; cum pauperum iniuria vellent ditescere.

Crebrius verò inter Regulares, siue eorum culpâ, siue potius arte dæmonis factum fuit, ut contra Abbates immorigeri aliqui, ad depositionem eorundem, quandoque laborauerint, quod ut faciliùs efficerent, recurrebant ad Principem, qui per hanc occasionem, præponebat monasterio personam sibi visam: ex hoc tamen non sequitur, quod monasterium perpetuis temporibus liberam electionem amiserit, cum electio Superioris de gremio communitatis, est Regulæ statutum, cuius decreta non abolet, neque secuturis præiudicat, monachorum vel petulantia, vel imprudens procedendi modus.

Sicut etiam non semel, in diuersis locis euenit, ut cum in locum defuncti Abbatis, de eligendo alio deliberarent capitulariter adunati Fratres, tanta votorum discrepantia intercedebat, ut tot fermè Candidati proponerentur, quot electores adessent, in qua diuersitate, plerumq; ad Principem, agitati diuersis consilis monachi veniebant, ut is diuersa studia componeret, proponendo aliquem qui Abbatis locum occuparet. hoc etiam illaudabile; sed quia humanæ mentes subiacent varijs passionibus & voluntates fluctuare solent, ideo ex tali confusione regularium, non sequitur amissio juris liberè eligendi, neq; Princeps firmare potest jus sibi denominandi & imponendi quem velit, quia error paucorum, Ius Ordinis non tollit; talisq; imperfectio regularium commiseratione eget, non verò ablatione juris, puniri debet.

Quemadmodum in Chronico Casinensi de Conrado Imperatore legimus; Hic pius Imperator cum Anno 1038. transmissis Alpibus in Italiam venisset, adiit S. Benedicti cœnobium Casinense, ubi à Monachis de eligendo Abbate dissidentibus, exorabatur, ut eis Abbatem constitueret, negauit Cæsar suum esse, dicens, Vos unum ex vestris eligite, monachis autem replicantibus, se non habere idoneum, Imperator nihilominus persistens in priori suâ sententiâ, respondit, Nequaquam, sed de congregatione magis idoneum, Abbatem vobis eligite. Sunt verba ejusdem Imperatoris, quæ vid. prædict. Chron. c. 66.

Si

Si in has regularium confusiones, ex infirmitate prouenientes, surreptione liberæ electionis Princeps aduerteret, ita faceret, sicut Philippus Macedonum Rex, ad dissidium inter Athenienses & Lacædemonios componendum vocatus, utrumq; suo dominatui, armis erectis, populum subegit, & liberas urbes seruitute damnauit. Quod Orthodoxis Principibus, in causis regularium illicitum est.

Hoc enim tolerabilius esse puto, ex duobus malis minus eligendo, si forte Princeps videret aliquem etiam de ordine mendicantium Regularium, Virum dignum suo favore & promotione, talem ad Abbatiam non inutiliter prouehere posset; qualiter factum legi Anno 1522. Cum in Monasterio Salisburgensi, de eligendo Abbate fratres in votis non conuenirent, Matthæus Langius Cardinalis & Archiepiscopus Salisburg. exhortando ad concordiam, ut Ioannem Staupizium Ordinis Eremitar. S. Augustini, S. T. Doctorem, qui aliquando Lutheri hæresiarchæ, Prior & Prouincialis fuerat, sub id verò tempus Salisburgi versabatur, Abbatem deposcerent, religiosè suasit, & persuasit,: tunc accedente dispensatione Pontificis, Staupizius in Regulam S. Benedicti jurans, Abbas confirmatus & consecratus fuit, qui Abbatiæ visco capiendus videbatur, ne cum magno rei Catholicæ detrimento auolaret ad hæreticos, ad quos vocabatur à discipulo suo Martino Luthero. quo facto, & in fide stabilior ille mansit, moribusq; attemperatis ad clauum Monasterii non ignauiter sedit. Ex Religiosis itaq;, quanquam alterius Ordinis, si in proprio Ordine habiles desint, in Abbates exponendos suaserim, ut pote institutionis & disciplinæ claustralis peritiores, quàm Clericos ex Aula, qui nihil cum pietate religiosa commercij habent, nihil de obseruantia regulari norunt, neq; utilitatem commendatorum monasteriorum spectant, sed solos prouentus auidissimè petunt.

§ XLVIII.

XLVIII. Ab Anno 1460. quo hæc agebantur, & retrò antè ut supra patuit singulari 18. Rege possessionem continuante Monasteria nihil grauaminis comminiscebantur Abbatibus ad Nominationem Regiam, longâ nec interruptâ serie succedentibus

℟ Callidè fingis te non audire gemitum pauperum monachorum, captus es auribus & mente simul; dum enim, contra omnem vetustatis memoriam, jus & potestas aufertur eis eligendi Superioris, & imperio alienorum subduntur, illud Prophetæ gementes ingeminant, Imposuisti homines super capita

nostra;

nostra: cumq; bona monasterij sui inuadi & depasci vident, cum Ieremia lamenta miscent, lugubrè intonando Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos: pupilli facti sumus, absque Patre, matres nostræ, Domus claustrales, quasi viduæ, squalidæ & oppressæ amaritudine.

§ XLIX.

XLIX. *Non potest igitur Rex & Respublica stante beneplacito Sedis Apostolicæ, & præhabita Confirmatione præinsertorum possessioni suæ præiudicare, & Regalia alienare. Neq; nociuâ dissimulatione ac Conniuentiâ culpabili concedere Monasteriis ad amissa regressum.*

℟ Scrupulum inijcit, quasi non possit à denominationibus hujusmodi, Princeps desistere! imò debet, si salvam rempublicam cupit & se: ubi enim monasteria opprimuntur, regna nutant: Neq; illud imaginarium Beneplacitum saluabit Principem; Dispensatio enim Papæ, (qui credit conscientiæ impetrātis) si causa dispensandi sufficiens non fuerit, nihil aliud est, quàm licentia eundi cum authoritate ad infernum: ut fert dictum Vetus.

L.

L. *Proindè frustra imò temerè petulanti impulsu, pessimo exemplo, ausu damnabili nuper duo Monasteria Cisterciensium in Polonia, Andreiouiense, & Coronouiense, quæ & Hebdouiense Secutum, Electionē absq; Præsentatione Regia attentarunt. Frustra synopses Priuilegiorum Peremptorias Iurium Typis mandari & imprimi fecerunt. Et Andreiouiense quidem Monasterium consensu Vladislai II. Principis Poloniæ à Ianico Archiepiscopo Gnesnensi fundatum Centenariâ post præscriptione à Commendatariis Regum Nominatione præhabitâ tentum: contra stimulum calcitrat. Cum fateatur in vita Beati Vincentij Kadlubkonis à se edita, incipiendo à Stanislao Białobrzescio Abbate quatuor continuò subsequentes Administratores dictæ Abbatiæ, quibus tres alij successerunt, à Regibus præsentatos & datos fuisse. Ita enim ediderunt & edisserunt pag. 62. quando enumerant Abbates Vigesimus septimus Stanislaus Białobrzeski, operâ Fratris sui Martini Białobrzeski Abbatis Claræ Tumbæ per Regiam Maiestatem promotus, & hic ultimus iam fuit Abbas Andreiouiensis, ab eius enim obitu Commen-*

datarij

datarij cæperunt esse. Primusq; Commendatarius fuit Stanislaus Rescius Canonicus Varmiensis & Decanus Varsauiensis per Serenissimum Stephanum Regem datus, qui Nuntius Neapoli mansit. Secundus Commendatarius Abbatiæ Andreiouiensis fuit Bartholomæus Powsinski per Summum Pontificem Clementem VIII. Serenissimo Regi Sigismundo III. Commendatus. Tertius Commendatarius Adamus Makowski, qui itidem Neapoli Nuntius mansit. Quartus Reuerendissimus Remigius Koniecpolski Episcopus Chelmensis, qui ossa B. Vincentii Kadłubkonis An. verb. Incar. 1633. subleuauit &c. Pariter & Monasterium Coronouiense per Vislaum Episcopum Vladislauien. ex Bonis Comitis Bogussa consensu Casimiri Ducis Cuiauiæ Decreto in Iuuene (ut scribit) Vladislauiâ Die 10. Nouembris 1262. interposito, fundatum: cristas erigit. Cum ab Anno 1599. præsertim morte Laurentij Zalinski per præsentatos Regios tenutum fuerit. Frustra Priuilegium Serenissimi Ioannis Casimiri hæc eadem Monasteria iactant, Regalia insciâ Republica alienans, ambitu priuato obtentum, & surreptitiè emanatum, atq; reuocari iussum, quin imò per Serenissimum Regem Michaelem ad Consuetudines & Ius commune reductum, cui iam expresse collatâ Abbatiâ Vachocensi Lezenio præiudicatum. Nonne in confesso est hodiernum Commissarium Religionis Cistercien. per Poloniam Zapolscium, post fata Donhoffij literis petiisse Regem suppliciter, ut dictæ Abbatiæ Andreiouiensi de successore prouideatur. Potius mancipati seruitio Diuino enitantur, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei DEO reddi.

℟ In hac finali allegatione, singularista sugillat inprimis studium Cisterciensium, qui pro deducendâ electione Abbatum, synopsim confecerunt; sed immeritò carpit innixos juri & iustitiæ; potius iste Antimonachus, habitum sacræ Religionis ejus spontè assumeret, & se prius instituendum magisterio regulari submitteret, tum demũ, si Deo placeret & fratrum cætui, ad solium Abbatiale, quod enixe ambit, fortassis proueheretur. ex quo tamen, grauior ruina ambitioso cuique pertimescenda est, si sanctitatis cathedram non cum pari probitate conscendat.

Ad monasterij Andreiouiensis clauum, quos vi absolutâ admotos vel potius intrusos memorat, eos utiq; non per januam ad hoc ouile, sed aliunde intrasse testatur: quibus omnibus Ianicum Archipræsulem Gnesnensium iratum esse non dubito, quod collatos ab eo, monasterio fructus, contra ipsius piam intentionem, in profanos usus legirupiones inuasores conuertant. Nec minus offensum B. Vincentium Kadłubconem. ejusdem loci Sanctum incolam, qui mirâ in Deum Diuosq; pietate, munificentiâ in monasteria & Ecclesias, celeberrimus fuit, & qui Christum, in contemptu sui, sub jugo obedientiæ imitari desiderans, Episcopatum Cracouiensem exemplo memorando; sponte deseruit, atq; in hoc Andreiouiensi asceterio Ordinem professus fuit monasticum, in quo, quinquennio sanctè peracto, victoriis sui ipsius, cæterisq; admirandis virtutibus clarus, è statione vitæ mortalis ad IESVM Ducem suum, Anno 1223. feliciter commigrauit. Ambo isti reuerendissimi Antistites, nobilissimi patrimonii sui hæreditarias villas & prædia, monasteriis distribuerunt, ut Christum lucrifacerent; cum moderno sæculo perditissimi homines, Christum in suis membris despoliando, & sponsam ejus Ecclesiam, cuius se custodes inaniter iactant, nudam relinquendo, seipsos ditare soleant, & agnatos suos ex obscuritate laris priuati, in solem illustrissimorum Baronum & in theatrum orbis producere: audent tamen per summam vanitatem, promerita sua in Ecclesiam Dei, in Principem & patriam, quæ nulla in veritate habent, in tantum attollere, ut ob ea, sacros monasteriorum prouentus, ceu debita stipendia, à Principe sibi dari contendant: quos si non habeant, & Senatum minorari, Aulam deseri, rempublicam diminui, carissimam patriam pristino splendore exui, ridiculè comminiscuntur. Mihi verò & aliis sinceris judicibus, rectius videtur, quòd, nisi hæc insatiabilis Cleri profani & aulici compescatur auaritia, ut ab Aulâ, ad suas Ecclesias Canonicales & Parochiales abire iussi, juxta formam à Canonibus sacris traditam viuant, futurum fore ut & Princeps & respublica grauissima exinde incommoda subeat; idq; ex eâ causâ, quia Nobilium pleriq; filiolos suos in cunis adhuc iacentes, vel vix gressus & prima verba formantes, clericali togulâ inuestiunt & futuros Abbatulos baptizant, expeditiorem viam opibus comparandis esse videntes, per Clericam, quàm per militare sagum. Deseritur itaq; militare seruitium & ad castra non itur, usus armorum ab Ordine Equestri, ob togas clericales assumptas, postponitur, rarissimæ cohortes ex Nobilitate conscribuntur, sicq; exiguus militarium virorum manipulus, tuendis Regni finibus, & hosti arcendo impar,

in

in causâ est, quod post ablatas à sceptro Prouincias, ex magnâ libertate in seruitutem ignominiosam compellamur.

ô mores praui, cunctis omnino dolendi,
o miseranda nimis morum mutatio talis.

IVSTVS DOLOR
grauissimis damnis,

quæ per Commendatarios, Sacri Religiosorum cætûs, patiuntur, expressus;

& Responsioni, Ad 50. Singularia adiunctus.

SI licet in lacrymas, & in argumenta doloris,
Ad cytharam gemitus soluere Musa tuos:
Res peracerba iubet, facilem luctumque ministrat,
Ipsaq; solliciti carminis urget opus.
Inualuit grandi quæ passim clade per orbem,
Claustra per externos relligiosa petens.
Exitiale malum, radicitus omnia tollens,
Deformans totum spirituale decus.
Quo nihil è stygijs poterat funestius undis,
Inter auaritiæ prosiliisse dolos.
Quis ferat hoc! diuina Viris patrimonia tolli:
Quæ meruit Virtus, Vitaq; Sancta Patrum.
Transferiq; aliò; non iam pietatis ad usus;
Ast, ut rem sacram, pompa superba voret.
Instruit, heu, PANIS CHRISTI, mensasq;, dapesq;,
Ad luxum inuentas, ingluuiemq; sapit.
Viuitur ad mundi fastum, legesq; profanas,
Ex his, perfecti quæ meruêre Viri.

Au-

Aulica dum passim stipendia soluit Eremus,
Ex claustris gazas ambitioq; trahit.
Eripitur Monachis, quod prensat Curia: iamq;
Mars etiam, nullo vindice, claustra regit.
Siccine quod pietas, quod munera sacra dedêre,
Quod strictum Christi iudiciumq; manet:
Tollitur ad libitum, Venatica corda saginat,
Inque offam aurigis vertitur, atq; cocis.
Ad cyathos seruit, pincernarumq; cohortes,
Otia cum ludis, deliciasq; fouet.
Cum iacet interea cultus diuinus & omnis
Squallet honos, pietas, relligioq; gemit.
Cum niuei mores tolluntur, & exulat, eheu,
Antiquus candor, simplicitasq; Patrum.
Compositæ in speciem succedit fictio mentis,
Cor tumidum, mundi gloria, vanus honos.
Soluitur austerum vitæ genus, optima languet
Disciplina boni, negligiturq; rigor.
Spiritus, internæ basis & compactio vitæ,
Dispersus sensim, deniq; totus abit.
Mystica non capiunt, qui vana negotia curant;
Sufficit his, reditus posse tenere suos:
Cætera deficiant quamuis, passimq; vagentur,
Nec iuxta mentem relligionis eant.
Ipsa etiam veniunt dispendia mille bonorum,
Namq; ex his potius commoda sanguis habet.
Aut qui blandiloquis mulcent sermonibus aures,
Prodiga quos inter distrahit illa manus.
Sic pariter, diuina ruunt, humanaq; passim,
Extingui, certum est, hac ratione, bona.

Dum qui non didicit vitam, quam nosse tenetur,
  Præsidet, heu alijs, exitioq; sibi.
Abbatis titulo felix, sed muneris expers,
  Cumq; bonis Fratrum gaudeat, horret onus.
Hic sacer est, IVSTVSq; DOLOR, qui corda fatigat,
  Ascetas qualem dissimulare nefas,
Exprimit hunc fatale malum, prope & ultima clades
  Quam Commendarum sors inimica dedit.
Doctorum calamus vindex, quam tollit & arcet,
  Quam, certum est, animæ mille pericla sequi.
Hoc agis, hoc zelante tuo solidoq; labore
  Carduelana cupis tollere docta manus.
I felix, animos penetra, nec desine magno
  Qui decet Ascetas pectore vera loqui.
Cætibus ut sacris non præsint amplius illi
  Qui nihil ex voto relligionis habent.
Vt regat ex medio, quem disciplina, rigorq;
  Claustralis docuit, qui didicitq; regi.
Sic decus antiquum, sic obseruantia sacræ
  Florebit vitæ, spiritus, atq; vigor:
Sic Abbas verus, fuerat qui filius ante,
  Ipse sacer, sacro de grege, Pastor erit.

Si quis te criticus docto perstrinxerit ungue
Sint tibi censoris munera grata tui.
Grates, lætus ages, toruos ne contrahe vultus,
Nec signa ingrati pectoris ulla dabis.
Si quid Aristarchus forsan laudauerit, idem,
Lumina deijcies, occupet ora rubor.
Ne te mulceri flatu patiaris inani,
Debetur SOLI GLORIA vera DEO.